

Christoph Bulaeus

Elenchus Errorum Papisticorum De Sacramenti Nomine Et Definitione, Iussu Et Autoritate Admodum Reverendae Facultatis Theologicae Lipsiensis, Oppositus duabus Controversiis principalibus Poberti Bellarmini in prioribus septendecim capitibus Libri primi De Sacramentis in genere

[Leipzig]: Ritschius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78876358X>

Druck Freier  Zugang



A-W
 A-G
 A-9
 A-7
 A-W
 192p
 A-C
 A-E
 A-B
 Pr. 104
 44p
 A-L
 D-E
 A-K
 A-S
 A-M
 A-C
 A-B
 A-B
 A-C
 A-S
 A-S
 A-C
 A-D
 A-C
 A-E
 A-E
 A-G
 A-S
 40p
 43p
 29p
 14p
 30p
 30p
 44p
 Pr. 70p 52p
 66p

84.


52 b. 5.




Ad Libros P. Storri

Ja 1092 (84)

<16.7h>





1. ...
2. ...
3. ...
4. ...
5. ...
6. ...
7. ...
8. ...
9. ...
10. ...
11. ...
12. ...
13. ...
14. ...
15. ...
16. ...
17. ...
18. ...
19. ...
20. ...
21. ...
22. ...
23. ...
24. ...
25. ...
26. ...
27. ...
28. ...
29. ...
30. ...

1. Jo. Bened. Carpzovi Patris. Vindicta Doctrinae de Sacramento.
2. Bulaci (probr.) Ulenchius Errorum Lapidatorum de Sacram. Noë et Jef.
3. M. Geor. Schmamm (probr.) de Sionis pœnit. ex Joëlis potissimum.
4. Jo. Ulricq. Chayer (probr.) de Imagine Dei Homini primævo concreta.
5. Andreas Kühn (probr.) de Universali gratia.
6. Fridericus Holzmann (probr.) de Symbolo Apostolico contra Calixtum.
7. Balthasar Fridericus Salzmann (probr.) de Processione Spiritus S.
8. Jo. Fridericus Heilbrunnensis de Tractu Patris ad Filium. p. Jo. 14. 44.
9. Jo. Geor. Dorschauer ad Hæc Juda v. s.
10. Henricq. Schmid (probr.) de Cathedra Petri.
11. Henricq. Philippus Heruart de Raptu Pauli. & sic.
12. Spurrus Prof. Hulfemannus de Peccato in genere et in sp. originali.
13. Bernard Schmid de Lingua Ebraea.
14. Wiltch prof. Meijner. de Vita Salomonis curriculum.
15. Balthasar Boebelig de Phrasi N. Testamenti. 15. b. f. d. d. Chemnitz
16. Victor de Urin et Thummim.
17. Michael Strömbanz de Judaim.
18. Francisc. Gfide Analysis ad Rom. vi. 2.
19. Christoph. Gfide Christiano Chemnitio de Peccato in Spir. S.
20. Christian Chemnitig de Tentatione sensus et in existentia Dei.
21. Idem de Fide Demonum.
22. Jo. Ernesti Gerharty de modo legitimo propagandi fidem.
23. Idem de Salute Infantum ante baptismum decedentium.
24. Idem de Spei etat. ad Nov. Test. Syriacum.
25. Idem de Spei etat. ad Nov. Test. Syriacum.
26. Sebastiani Niemanni Fides Pontificia non Fides.
27. Jo. Brissumey de Uia adventu frustra à Judæis adhuc expectato.

27. Jo. Bristumy de Judaico Anno Paschali. Exod. XII, 3. p.
28. —. Idem de Angelo Federis.
29. —. Idem de Pontificum Obsequio Vestitu sacro.
30. Jo. Bened. Carpovig de Arca Federis.
31. —. Idem de Quaestione: Quorsum Arca perrexit.
32. —. Idem ad nummos Cornutum Alogen exhibentes.
33. —. Idem ad Majemon. Hitch. VII. N. XVI.
34. —. Idem de Gigantibus.
35. —. Idem de Crethi et Pletthi.
36. —. Eundem versio Hitchot Thaanith Majemon.
37. Jo. Andreas Bosig ad 2 Thimoth. II, 22.
38. Christianus Koithold de Origine Philosoph. Barbaricae.
39. Jo. Faber Argent. de Causa Peccati.
40. Jo. Pappi Quaest. et Resp. de Ecclesia Catholica.
41. Jacobus Froeseisen de Haeresibus et Haereticis.
42. Jo. Georg. Sorschauer de Unione Hypostatica Gal. y.
43. Balthasar Raithij Specimen Collegii Biblici ex Obadi.
44. Jo. Wigtachig de Punctis Hebraeorum vocalibus.
45. Jo. Winkelmannig de Messia nostro Jesu Ser. xxiii. 3. 4.
46. Jacobi Leonoldii Praefide Fracensis saeculi Papae dnm.
47. Wilhelmi Lyseni Christus Patiens Gal. 4. xiii.
48. Jo. Conradi Surrii Judaei Inexcusabiles.
49. Jo. Schmiel de Resurrectione Christi et ortu.
50. Wilhelmus Lysenus de Eadem.
51. Elia Schadaei Theses de Spiritu S.

In
 M. Jo. Philippo Pomio
 Past. et. Heilbr. 1695.

2.
ELENCHUS ERRORUM
PAPISTICORUM

DE
SACRAMENTI
NOMINE ET DE-
FINITIONE,

JUSSU ET AUTORITATE

*Admodum Reverendæ Facultatis Theo-
logica Lipsiensis,*

Oppositus duabus Controversiis principalibus

Roberti Bellarmini in priori-
bus septendecim capitibus Libri primi
De Sacramentis in genere.

*Et eum in finem, ut aliquando, pro Locò in Facultate
obtinendò, de his thematibus publicè
disputetur,*

In actu Academiae panegyricò propositus

CHRISTOPHORO BULÆO,
S. Theol. Licentiato, Præfulatus Misnensis Super-
intendente, ejusdemque Consistorii Assessore,
& Pastore Wurzenensi:

*Quum Sacrosancta THEOLOGIAE DOCTOR
solemniter crearetur,*

Prid. Calend. Octobr. c1o 1o cXL.

TYPIS GREGORI RITZSCHI.

MUSEUM
VIRIS
*Magnifico, Nobili, Splendidissimo,
Domino*

GABRIELI TÜNTZELIO,
JCTo celeberrimo, Sacrae Cæsareæ Majestatis Au-
læ, Palatiiq; Lateranensis Comiti; Serenissimo Dn.
Electori Saxoniae à Consiliis intimis, &c.

*Clarissimo, Consultissimo, & Præcellentissimo,
Domino*

FRIDERICO TÜNTZELIO,
Jur. Utr. Doctori, Sereniss. Dn. Electoris Saxoniae
in judiciò Appellationum, rebúsq; Cameram Imperia-
lem concernentibus Consiliario, ut & ProtoSyn-
drii Ecclesiastici, quod Dresdæ est, Asses-
sori honoratissimo.


*Admodum-Reverendo, & Excellentissimo,
Domino*

WOLFGANGO-ERNESTO
TÜNTZELIO,

SS. Th. Doctori eximio, Ecclesiae & Dioeceseos
Torgensis Pastori ac Superintendenti dignissimo.

*PATRIS AMPLISSIMI FILIUS DUOBUS OPTIMIS
Patronis, Assibus, & in Christo Fratri summis, colendis, carissimo,
Hanc Disputationem Doctoralem Reverenter, amanter,
officiosè nuncupo,*

CHRISTOPHORUS BULÆUS,
Episcopatus Misnensis Superin-
tendens, ejusdemq; Consistorii
Assessor, & Pastor Wurzenæ.



IN NOMINE SACROSANCTÆ ET
INDIVIDUÆ TRINITATIS, DEI PA-
TRIS, FILII, & SPIRITUS SANCTI,
AMEN.

PROLEGOMENA.

ROBERTI BELLARMINI, Jesuitæ &
Cardinalis, Liber primus de Sacramentis in ge-
nere, duabus constat partibus; Primò PROLE-
GOMENIS; Deindè TRACTATIONE ipsâ.

Prolegomena sunt duo: UNUM de Errori-
bus circa Sacramenta: ALTERUM de menda-
ciis & calumniis, ut ipse mentitur & calumnia-
tur recentium Hæreticorum.

ERRORES antiquos circa Sacramenta capite I. ad quatuor CAP. I.
classes revocat: *Quosdam* omnia Sacramenta de mediò sustulisse
refert §. 1, 2, 3. *Quosdam* Sacramenta omnia non quidem sustu-
lisse, sed virtute, & efficientiâ spoliâsse §. 4, 5. *Quosdam* aliqua
Sacramenta de mediò sustulisse, §. 6-11. *Quosdam* certa Sacramen-
ta, non quidem sustulisse, tamen non rectè intellexisse, vel admi-
nistrâsse, §. 12-15. His classibus tribus posterioribus annumerat
etiam *Lutherum & Lutheranos*, eosque hos antiquos errores
interpolâsse, & in Proscenium Ecclesiæ reduxisse autumat. (1)
Quia cum errantibus in classe secundâ *Sacramenta omnia* virtute,
& *efficacia spoliènt*; sic scribente Lutherò in assertionè primi Arti-
culi: *Heretica, sed usitata sententia est, Sacramenta novæ legis dare
gratiam iis, qui non ponunt obicem. Scriptura enim dicit: Justus ex fi-
de suâ vivet; non dicit, ex Sacramentis vivet. Sed falsam mentem Lu-
thero affingit. Non enim absolutè rem totam, & omnem efficaci-
am Sacramentis denegat, sed limitatè modum duntaxat Papisticû
inficiatur, quò Pontificii Sacramenta ex opere operatiò prodesse di-
cunt omnibus, etiam fide destitutis, modò non ponat obicem:
Quasi verò ipsa incredulitas non sit omnium robustissimus, &*
A 2 ho-

hostilissimus obex gratiæ, uti seipsum satis dilucidè declarat ipse Lutherus in librò de Captivitate Babylon. capite de Baptismo. Aliàs autem si adsit fides usurpantis, Sacramenta certissimè, & efficacissimè gratiam conferre, idem Lutherus in eà ipsà assertionè Articuli primi, Tom. 2. Jenens. Latin fol. 295. perspicuè tradit: *In omni Sacramento est verbum promissionis divine, quod affirmativè promittit, & exhibet gratiam DEI illi, qui suscipit Sacramentum: ubicunq; autem Deus promittit, ibi exigitur fides audientis.* Fidem proinde non opponit Sacramentis, ut causis gratiæ instrumentalibus ex parte Dei, sed ut opus operatum spectatis, quò pacto ea non prodesse infra in Tractatione passim docebitur. (2.) Quòd cum errantibus in classe tertià quinq; Papistarum supernumeraria Sacramenta non respiciant. Sed hæc imputatio imaginarii erroris profuit ex verè erroneà Bellarmini hypothesi, quasi illa putativa Sacramenta, genuina & propriè sic dicta Sacramenta sint, quòd à nobis *Ἀπορρητόν* negari Bellarminus haud nescit. (3.) Quòd Lutherus cum errantium classe quartà Sacramentum Absolutionis non neget, sed nec integram confessionem, nec ullam satisfactionem requirat. Deniq; Ordinationem ministrorum omnes quidem admittant, sed nec agnoscant verum ministrum, nec verum ritum hujus Sacramenti. Atq; hoc Lutherus non negat, scilicet Absolutionem in individuò applicare gratiam justificationis, & propter hanc individualem applicationem concedit aliquatenus & latè Absolutionem posse dici Sacramentum: interim locum aliquem non poterit Bellarminus ostendere ex Lutherò, ubi hic Absolutionem inter Sacramenta propriissimè dicta referat, quia longè plura ad naturam specialissimè dictorum Sacramentorum requiruntur. Multò minùs autem Ordinationem ministrorum in censu strictè dictorum Sacramentorum agnoscimus, quia non applicat gratiam justificantem: sed pro ritu, adiaphoro quidem, valdè tamen utili, eam habemus. Distingvimus proinde inter ipsam rem Absolutionis, prout habetur in Scripturis, nec non ipsam ordinationè, & inter abusum, quos Papistæ his rebus assuunt. Illas utiq; admittimus, & Sacramenta non quidem in specialissimà, & propriissimà, sed in latiore, atq; improprià hujus vocabuli acceptione, dici posse concedimus: Hos verò, nimirum specialem

lem omnium peccatorum enumerationem, & meritoriam satisfactionem pro peccatis per opera merè humana; item, quòd de jure divinò solus Pontificius Episcopus, & quidem necessariò cum rasurâ, & unctione, ordinare possit, ac debeat; hos inqvâ abusus ut partim impossibiles, partim verbo Dei contrarios, partim supersticiosos & inutiles, meritò & sine omni errore rectissimè rejicimus. Principiũ ergò petit Bellarminus, quum horũ errorum nos incusat. Multò verò rectius se ipsum cum totâ cohorte Papi- sticâ ad quartam istam errantium classẽ propter multigenes de Sacramentis errores, reducere; ac classẽ quintam addere debuisset, eorum scilicet, qui numerum Sacramentorum præter Scripturam & necessitatem erroneè multiplicant; quod omnes promiscuè faciunt Pontificii.

MENDACIA ipse mendacissimus accumulat capitibus sequentibus, quasi scilicet *Lutherus*, de quò cap. II. itémqve *Philippus* de quò cap. III. necnon *Calvinus*, de quò cap. IV. & *Chemnitius*, de quò cap. V. atqve *Tilemannus Heshusius*, de quò cap. VI. multa falsa dogmata Pontificii calumniosè tribuerint. Verùm impudens est Bellarminus, qui *mendacia* vocat, quæ esse verissima totus Christianus orbis novit. Scilicet secundum illud: *Si fecisti, nega!* Ita autem ad imputatos errores singulos respondet, ut vel nolens volens quosdam concèdat: vel excusando errores erroribus multiplicet: vel unum aliquem scriptorem centum aliis opponat: vel contra conscientiam inficietur, quæ palliare nequit. Nos, quia errores isti ad distincta & diversa capita pertinent, iis ad sedes suas ordinarias remissis, in datis generalibus responsionibus hâc vice acquiescentes, speciali eorundem ventilatione de industriâ super sedemus, ne in præliminaribus justò diutius occupatis, in opere ipsò minùs operæ nobis relinquatur.

CAP. II.
III.
IV.
V.
VI.

TRACTATIO IPSA.

Res continet principales controversias. **UNA** M, de Nomine & significatione Sacramenti. **ALTERA** M, de Naturâ & Definitione. **TERCIA** M, de Causis, tum intrinsicis, tum extrinsicis. E quibus priores duas, de Nomine & Definitione Sacramenti, hac vice, $\sigma\omega\theta\epsilon\omega$, examinabimus.

A 3

CON-

CONTROVERSIA PRIMA. De Nomine Sacramenti.

THES. I.

QVùm plures in Naturâ & Scriptura sint Res, quàm rerum Nomina & appellationes: hinc factum est, ut externa illa ac visibilia invisibilis gratiæ signa verbo addita, quæ in Novò Testamento propriissimè sunt Baptismus & Cœna Domini, propter defectum commodioris appellationis, à Scriptoribus Ecclesiasticis Græcis *Μυστήρια*, à Latinis *Sacramenta* fuerint nuncupata.

II. De hoc *Sacramenti* nomine Bellarminus lib. I. de Sacramentis in genere cap. VII. ait duas esse controversias: UNAM, Sine hoc nomen usurpandum? ALTERAM, quid propriè significet?

QVÆSTIO PRIMA.

*An vox Sacramenti sit retinenda
& usurpanda.*

III. In hac quæstione pertractandâ Bellarminus fraudulenter & calumniosè agit. Primò enim fingit, Lutherum initio suæ prædicationis ab hoc nomine non parùm abhorruisse: quem secuti sint *Melanchthon* in Locis communibus editis Anno 1521. & 1522. caput, in quo agit de Sacramentis, inscribens, *De Signis*: Et in mediò ejus capituli, *Quæ alii*, inquit, *Sacramenta, nos signa appellamus*: *Andreas* item *Carolo stadium* in lib. de Imaginib. & Sacramentis; *Zwinglius* in lib. de verâ & falsâ religione part. II. operum, pag. 197. & *Calvinus* lib. IV. Institut. cap. 14. §. 13. qui omnes nomen Sacramenti aut planè repudiârunt, aut saltem reprehenderint. Deindè cavillatur, Lutherum, quùm vidisset *Carolo stadium* & *Zwinglium*, cum quibus inimicitias gerebat, abhorre à voce Sacramenti, mutavisse citò sententiam, & in odium ipsorum, nomen Sacramenti approbare cœpisse: Lutherò autem sententiam immutante, mutasse etiam cæteros Lutheranos; atque ita apud ipsos in usum revocatam & hætenus retentam esse istam nominis usurpationem.

IV. Sed respondeo: (1.) *Carolo stadium*, *Zwinglii*, *Danei*, *Anabaptistarum* & *Phocinianorum* quorundam nimis delicata Sapiencia,

entia, quâ vocem *Sacramenti* nauseabundè rejecerunt, ad nos non pertinet. Eam enim diligenter refellit Lutherus in librò contra cœlestes Prophetas, verbis ab ipsò Bellarmino adductis, (2.) *Luthero* igitur, ut & *Melanchthoni*, fit injuria; quippe qui vocem istam nullibi spreverunt, sed tantùm ἐπεξηγητικῶς & per Synonymiâ, nomine *signi* declararunt, quod de *Melanchthone* imprimis clarum est ex iis ipsis, quæ Bellarminus truncatè citat, verbis: *Quæ alii*, inquit *Melanchthon*, *Sacramenta*, nos *signa* appellamus; aut si ita libet, *signa Sacramentalia*: hæc posteriora verba dolosè omittit Bellarminus. In sequentibus autem editionibus *Philippus*, quasi prævidens hanc calumniam, titulum mutavit, & pro *signis* *Sacramenti* vocem substituit. (3.) Multò minùs verum est, Lutherum ex odiò in *Carolostadium* & *Zwinglium* vocem *Sacramenti* in usum revocasse. Quam enim nunquam & nusquam abjecit, quomodo sive in gratiam, sive in odium alteriùs reassumisse putari potest? Videantur priora & posteriora *Lutheri* Scripta: nullibi fastidium aliquod in adhibitione hujus nominis invenietur.

V. At colligere sibi hoc videtur *Bellarminus* ex nonnullis *Lutheri* effatis, ita ratiocinans: *Quicumq;* improbat nomina in rebus *DEI* significandis, quibus *DEUS* ipse in *Scripturâ* non utitur, illi *Ecclesiasticus* usus vocis *Sacramenti* placere nequit: Sed *Lutherus* improbat nomina in rebus *DEI* significandis, quibus *DEUS* ipse in *Scripturâ* non utitur. Ergò *Luthero* *Ecclesiasticus* usus vocis *Sacramenti* placere nequit. Ratio copulati in majore videtur patere, quia vocem *Sacramenti* *Deus* in *Scripturis*, ex sententia *Lutheri*, nullibi usurpat in eò sensu, quò *Ecclesia* utitur: Non habet, inquit *Lutherus*, in librò de *Captivit. Babylonicâ*, cap. de *Matrimonio*, *universa Scriptura sancta hoc nomen Sacramentum, in eâ significatione, quâ noster usus, sed in contrariâ. Ubiq;* enim significat non signum rei sacræ, sed rem sacram, secretam & abscondit am. Minor probatur ex librò de abrogandâ *Misâ*: *Pia & fidelis conscientia merito & dignè pavere debet, ne hoc sacrificium appellet aut credat, quòd certissima est apud Deum, & in Scripturis non dici sacrificium, & hoc solum appellet sacrificiũ, quod constat à Deo vocari sacrificiũ. Quæ enim furentior est temeritas, quàm sic os in cælum ponere, ut hoc sacrificium, & cultum Dei dicas, quod ille non dicit sacrificium & cultum DEI?*

VI.

VI. Respondeo: i. Hoc argumentum contra experientiam, & ipsam *ἀντολίαν* pugnat; quare *Sophisticum* esse necesse est. Ocularis enim inspectio librorum Lutheri clarissime comprobat, usum vocis Sacramenti ipsi semper fuisse familiarissimum. Quid igitur cum larvis pugnat Bellarminus? 2. *Major* autem ambiguitate errorem parit. Nomina enim in rebus Dei significandis, quibus Deus ipse in Scripturam non utitur, duum sunt generum: Alia sunt *ἀγραφα* καὶ λέξις, καὶ καὶ *ἀντιγραφα* simul; atque ita etiam, ubi de Articulis fidei agitur, *ἀντιγραφα*: alia verò sunt *agrapha*, non quoad sensum & rem, sed tantum quoad literam, ad eoque minimè *ἀντιγραφα*. De illis *Major* conceditur; de his verò perspicue falsa est: quemadmodum apparet ex vocibus *Trinitatis consubstantialis, essentie, persone, &c.* quas in Scripturis καὶ *ῥῆματα* non exstantes, nihilominus propter res significatas in Scripturis contentas, rectè retinemus. A rejectione ergò nominum & quoad literam, & quoad sensum *agraphorum*, atque ita *ἀντιγραφα*, ad rejectionem nominum quoad literam duntaxat *agraphorum*, nulla valet consequentia: quia illa sunt prohibita, hæc licita, non ex phrasi *Scripture* expressa, sed loquendi consuetudine; Basil. ep. 43. signatè August. lib. VII. de *Trinitate*, cap. 4. in re simili. Licuit loquendi ac disputandi necessitate tres personas (Sacramenta) dicere: non quia *Scriptura* dicit, sed quia *Scriptura* non contradicit. Idem Lutherus tenet, in lib. cont. cœlestes Proph. Fatemur quidem, Deum non dixisse *Sacramentum*, nec præcepisse, ut *Sacramentum* diceretur; Sed dic nobis contra ubi prohibuit *Sacramentum* dici? Quis ergò dedit tibi potestatem prohibendi, quod Deus non prohibuit? 3. Ratio copulati vagatur extra oleas. Non enim probat nomen Sacramenti in significato Ecclesiastico Lutheri visum fuisse *antigraphum*, quod probare debebat; sed tantum *ἀγραφο* quoad nudam λέξις. Ex huiusmodi *ἀγραφα* autem vocabulorum, eorundem simul *ἀντιγραφα* & rejectionem inferre, (nisi res vocabulis denotata fuerint rejecta) juris, & moris non esse, jam modò indicavimus. 4. In *Minore* igitur Lutherum non simpliciter de quibusvis *agraphis* intelligi debere, certum est; quemadmodum in probatione apparet ex adducto exemplo appellationis *Sacrificii*, quod nomen de sacra Cœnâ Lutherus usurpari non vult, quia neque nomen, neque res sive

pro-

propria Sacrificii requisita, sacrae Coenae in Scripturis tribuuntur.
Alia ratio est appellationis *Sacramenti*; hoc enim vocabulum
quamvis ratione nominis in acceptione Ecclesiastica non ha-
beatur in Scripturis, eo tamen uti licere, imò & oportere uti, Bel-
larminus ipsemet *Lutherum*, & *Chemnium* asserere, ac probare
palam confitetur, §. 7. & 8.

VII. Frustra igitur Bellarminus contra Lutherum probare in-
stituit, nomen hoc esse usurpandum, & conservandum: nunquam
enim Lutherus hoc prohibuit, ut modò dictum. Videbimus ta-
men probationes. *Primò*, inquit, *quia reperitur in Scripturis*. *Bz.*
hoc nemo negat neque hoc in quaestione est. Concedimus e-
nim ambabus manibus, vocabulum *Mysterii* in fontibus Graecis,
& nomen *Sacramenti* in vulgata versione Latina *ἀποτολῆς* re-
periri: Id verò controvertitur, in quâ significatione hæ voces in
Bibliis usurpentur: & num ullibi in Scripturis adhibeantur ad de-
notandas ceremonias sive actiones divinitus institutas, in qui-
bus per rem visibilem cum re cœlesti hyperphysicè conjunctam
Spiritus Sanctus vires supernaturales, ad credendum cuilibet
hæc media usurpanti in individuo gratiosè offerat, & si Sacra-
mentò utens gratiæ divinæ ad exercitium illarum virium exci-
tanti non resistat, etiam conferat, & remissionem peccatorum, ac
jus vitæ æternæ dare paratus sit, ac credentibus singulis in indi-
viduo etiam det, continuet, confirmet, & obfignet? Bellarminus
non potest non nobiscum negativè respondere, & ingenuè sic
fateri: *Apud Hæreticos*, (ita scribit ipse hæreticus lib. I. cap. 7. §. II.)
qui matrimonium non admittunt esse Sacramentum propriè dictum, non
possumus probare ex Scripturis nomen Sacramenti, ut est nomen specifi-
cum, & proprium nostrorum Sacramentorum. Nusquam enim in Scri-
pturâ Baptismus, aut Eucharistia, aut Pœnitentia, aut Ordo, aut etiam
Confirmatio, aut Unctio Mysterium, vel Sacramentum appellatur.
Quis hic non complodat, & exclamet: *Confessus est! quid adhuc*
egemus testibus? ecce nunc audistis confessionem; quid vobis videtur?
Matth. 26. 65. Pergit autem: *Possimus tamen ex Scripturis ostendere*
nomen Sacramenti, ut est nomen genericum, & commune ad nostra
Septem Sacramenta, & alias res quasdam; nimirum ut significet signum
rei sacrae, & el arcana. Sed enim de genericâ, communi, laxâ & latâ
B hâc

hac significatione non est disputatio, neque hanc unquam vel Lutherus ipse, vel Lutheranorum aliquis simpliciter negavit. Damas enim cum Chemnitio, *Part. II. Exam. Concil. Trident. p. m. 7. 8.* in Scripturis vocem *Mysterii*, quam Latinus Interpres *Sacramentum* reddidit, latè patere, & multis rebus ratione signi, seu figuræ tribui: quemadmodum omnia *sacrificia V. T.* imò totum cultum Leviticum, quia signa erant; item *granum Sinapis, Semen, Gemmam,* & ejusmodi alia verbi & regni cœlorum Symbola, ex Matth. 13. v. 23. & 46. *Sacramenta* in notione generali & impropriâ indigitari posse, nostrates sonorâ voce docent. In dictis proinde *Dan. 2, 18. seqq. Apoc. 17, 7. 2. Theß. 2, 7. Eph. 5, 37.* Quæ Bellarminus hanc in rem affert, vox *Mysterii*, seu *Sacramenti*, aut pro signô, typô, & figurâ rei arcanæ, & mysticæ accipitur, prout Bellarminus contendit, & Chemnitius jam olim admisit; & sic supervacaneè afferuntur, quùm hanc acceptionem vocabuli, propter rei signatæ consignificationem non simpliciter negemus Pontificiis, ac proindè non opus sit contra nos probatione ullâ: aut pro ipsâ re arcanâ & mysticâ, prout cum plurimis nostratum ex ipsis Jesuitis statuunt, *Benedictus Justinianus Commentar. in Ephes. 5, 32. & Gregor. de Valentia, Tom. IV. Comment. disput. 3. quest. 1. punct. 1. Col. 622.* & sic sunt impertinentia, quia non probant, quod probare intendit Bellarminus.

VIII. *Secunda ratio, inquit, sumitur ex Patribus. Antiquissimi enim Patres hoc nomine usi sunt, &c. R.* Etiam hanc probatione superfedere potuisset Bellarminus. Novimus enim & largimur libenter, vocem *Sacramenti* extare apud Patrum antiquissimos, nosque istam in usitatâ Ecclesiastica, & strictâ notione ab iisdem accepisse, & huc usque rectè retinuisse, tum propter rei in sacris contentæ veritatem, tum propter receptam Ecclesiæ consuetudinem, à cujus usitatis phrasibus temerè recedere periculosum esse, Bellarmino haut inviti concedimus, quùm paulatim, ut ipse non malè arbitratur, ex novis vocibus novæ etiam res oriantur. Unde etiâ B. Paulus prohibet *profanarum vocum novitates*, *1. Tim. 6, 20.* Et S. Augustinus *lib. 10. de Civit. Dei, cap. 23.* *Nobis, inquit, ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.* Cui succinit Chemnitius *Part. 2. Exam,*

Exam. *Quia diligentia digna est pie eruditus, loqui cum Ecclesia: non rixamur de vocabulo (Sacramenti) sed hoc agimus, ne doctrina rerum, que in Scriptura tradita est, per vocabulum ἀνεμασθηται, & adulteretur.*

QVÆSTIO SECUNDA.

Quid vox Sacramenti significet?

IX. Vocabulum *Sacramenti* appellari quidam volunt, quasi CAP. VIII. *Sacramentem*: quod per Sacramenta offeramus, & penitus ad- Vocis Sacra-
menti ἱερο-
λογία. dicamus nos Deo, mentemque nostram summæ menti sacremus & alligemus. Sed hæc potius ad rem significatam est allusio, quam vocis significantis vera originatio. Si namque Sacramentum à mente descenderet, non *Sacramentum*, sed *sacramentia* dicendum foret: eò planè modò, quò à mente est amentia, dementia. Confer Gellium lib. VI. Noct. Attic. cap. 12. & Laurentium Val- lam, lib. VI. elegant. cap. 37.

X. Rectius derivat Vegetius lib. II. de re militari cap. 5. à *Sacrando*. Ut enim ab ornando ornamentum, à medicando medicamentum, à testando testamentum, &c. Sic eadem analogià à *sacrando* Sacramentum.

XI. Est autem *sacrare* idem quod dedicare, initiari, consecrare: interpretibus *Augustinò* & *Tertulliano*: quorum ille *epist. XXIII.* dicit, *Sacramenta nova legis consecrare homines Deo*: hic Baptismi Sacramentum *initiationem* nuncupat, in lib. de *prescriptionibus*, cap. 16.

XII. Cæterum varia est vocis Sacramenti acceptio apud Scri- Vocis Sacra-
menti ἀνα-
μία,
I. Politica. ptores tum profanos, tum sacros.

XIII. Apud profanos Scriptores duplex imprimis invenitur Sacramenti potestas.

XIV. Nam primò significat certam pecunie summam à litigan- tibus in locò sacro depositam. Ut enim scribit Varro lib. IV. de lin- guâ Latinâ prope finem, mos erat apud Romanos, ut quùm duo li- tigabant, tum affirmans tum negans deponeret quinquaginta æ- ris in locò sacro apud Pontificem, ut lite finitâ victor suum depo- situm integrum reciperet, victi autem arario seu fisco ad usus sa- cros cederet, in poenam injustæ ligationis, ut hæc ratione teme- ritas

ritas litigantium coerceretur? Inde formula, *Sacramentò quinquagenariò aliquem provocare*, apud Barnab. Briffonium *lib. V. pag. 360.* Atque ex hâc facti *specie* postea cœpta est *laxius* usurpari vox *Sacramenti pro quovis pignore.* Unde phrasæ Tullio usitatæ, *Sacramento comendere*, *lib. 1. de Orat. & lib. VII. famil. Epist. 32. Sacramentum iustum judicare* pro A. Cæcinnâ: de quibus P. Pythæus *lib. 1. Adversar. cap. 18.*

XV. Deinde notat hæc vox non modò solenne ac speciale illud *juramentum militare*, quò milites Romani certò ritu & præscriptis verbis astringebantur, se signa militaria non deserturos, nec fugæ aut formidinis causâ abituros, neque ordine recessuros, nisi teli sumendi aut petendi, aut hostis feriendi, aut civis servandi causâ; se denique omnia, quæ Imperator præceperit, strenuè facturos: referentibus Frontinò *lib. IV. Stratagem. cap. I.* Vegetiò *lib. V. de re milit.* Isidorus *lib. IX. Origin. cap. 3.* Briffoniò *lib. IV. de formul. solenn. pop. Roman.* Sed & promiscuè atq; in genere quodvis *juramentum*, apud Quintilian. *lib. XII.* Svetonium *in Cesare.* Paulum Grammaticum *pag. 418. Sacramentum dicitur quod jurisjurandi sacratione interposita geritur.* Atque hæc Sacramenti notio ad nominis Etymologiam proximè accedit: qui enim Sacramentum, id est, militare juramentum præstitissent, militiæ sacra-
ti, id est initiati, & dedicati vocabantur.

^{2. Ecclesiastica.} XVI. Apud Scriptores sacros sive Ecclesiasticos usurpatur vox Sacramenti tripliciter. I. *κρυπτός*, seu Generalissimè, pro re arcana & secretâ, in cujus notitiam mens humana suo pte remigiò assurgere ac penetrare nequit. Quò sensu incarnatio Christi *1. Tim. 3. 16.* magnum pietatis Sacramentum; & decretum Dei de salute nostrâ, Sacramentum voluntatis divine, *Eph. 1. 9.* à vulgato Latino Bibliorum Interprete vertitur. Confer *Tob. 12. 7. Sap. 2. 22. cap. 6. 24. Ephes. 3. 3. Coloss. 1. 27.* Ita & Tertullianus *lib. IV. contra Marcion. torum Christianismum* vocavit *religionis Christianæ Sacramentum.* II. *ἑπτὰ*, specialius pro quovis rei sacre signò, sicuti ex Augustin. *lib. X. de Civit. Dei, cap. 5.* Lombardus definire fuit solitus: sive illud in Scripturis habeatur, quemadmodù visio septè stellarum, significans Angelos septem Ecclesiarum, & quod septem Candelabra sunt septem Ecclesiæ, vocatur Sacramentum, *Apoc.*

1. 20. sive à viris piis sit excogitatum, & gratia per illud signum si-
ve deitur, sive tantum significetur: item sive sit gratia recõciliatio-
nis, sive aliud aliquod donum Spiritus, quemadmodum Bernhar-
dus in sermone de cœnâ Domini, ablutionem pedũ vocat Sacramentũ
remissionis peccatorum quotidianorum; & Augustinus signum
crucis in Psal. 141. Item Sermone XIX. de Sanctis. & lib. XIX. contra
Faustum, cap. 14. & alibi res alias Sacramenta sæpiculè appellat.
Quã de re ipse Tom. 2. Epist. 3. ad Marcell. col. 20. edit. Basil.
annõ 1569. *Signa quum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.* III. *Ἰδιωτῶς, strictissimè & propriissimè*, pro solenni actio-
ne divinitus institutã, quã sub tegumentis rerum visibilium bona
invisible gratiosè offeruntur, exhibentur, obsignantur: quò sen-
su duo tantum N. Test. numerantur Sacramenta, Baptismus &
Coena Dominica Augustinus lib. III. de doctrin. Christian. cap. 9.
*Pauca pro multis, eaque factu facillima, & intellectu augustissima, & ob-
servatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina:*
Sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis
Domini. Paschasius de Cœnâ Domini: Sacramenta Christi in Ec-
clesiã Catholicã sunt; Baptismus, & corpus & sanguis Domini. No-
tandum autem est iterum iterumque, hanc strictissimam significa-
tionem non esse Biblicam, neque desumptam ex Scripturã, sed ex
Patrum Ecclesiasticã loquendi consuetudine.

XVII. Qvis verò ex Patribus sive Græcis sive Latinis nomen
μυστήριον seu Sacramenti ad signa gratiã divinitus institutã primis
accommodãrit, præcisè ac certò dici nequit. Quicumque autem
iste fuerit, rationem hujus translationis videtur habuisse satis
congruam. Omnes enim acceptiones autorum tam gentilium
quam Christianorum, in thesibus antecedentibus recensitã, con-
venienter quadrãt; ac certis probantur Scriptoribus: quemadmo-
dũ videri potest apud Chemnitium part. 2. Exam. Concil. Triden-
tin. pag. m. 8. Bellarminum lib. 1. de Sacramentis, cap. 8. Gerhar-
dum Tom. IV. de Sacramentis, cap. 1. §. 7. Meisnerum Philosoph. sobr.
part. 2. sect. 1. cap. 1. Quest. 15. 1. *Quidam* appellationem petitam
putantã Sacramentũ civili. *Quemadmodum* enim pecunia illa a-
pud Judicem à litigantibus deposita, fuit quasi pignus, quò inter
se velut certò quodam fœdere devinciebantur: Sic signa ista fœ-

Ratio appella-
tionis.

deralia, promissioni gratiæ addita, non solum de voluntate Dei nos certos reddunt, sed & fidem nostram certâ lege ipsi obstringunt. *Et quemadmodum* contendentes in iudiciò, depositione illâ pecuniæ ad dilectionem obligabantur: *Sic* & nostra Sacramenta sunt fraternæ dilectionis Symbola. II. Quidam à *Sacramentò militari*. Sicut enim milites juramentò se astringebant suo Duci, quod illi Sacramentum vocaverunt: *ita* in Sacramentis nos Deo obstringimur ad cultum & obsequium, & se nobis ille quodammodò obstringit ad protectionem. III. Quidam à *Sacramentorum re cælesti*, quæ arcana est, & per signum visibile arcanò & rationi incognitò modò dispensatur. IV. Quidam denique à *more gentilium*. Ut enim illi ritus eos, quibus ad Idololatricas religiones suos initiabant, appellatione vulgò tunc tritâ vocabant *μυστήρια*: ita Scriptores Ecclesiastici utrumque vocabulum, & Græcum *Mysterii*, & Latinum *Sacramenti*, (quò Græcum reddiderunt) à superstitione Ethnicâ ad meliorem usum in Ecclesiâ accommodarunt, ac veluti jure civitatis sacræ donaverunt.

CONTROVERSIA SECUNDA.

De Definitione Sacramenti.

XVIII. Hujus disputationis Bellarminus tres facit partes. PRIMAM, de Pontificiis Requisite Sacramentorum. SECUNDAM, de Papisticâ definitione Sacramenti. POSTREAM, de Antithesi Requisite Sacramenti apud Hæreticos.

PARS PRIMA.

De Papisticis requisitis Sacramentorum.

CAP. IX.

XIX. Horum Bellarminus Cap. IX. ad Sacramentum novæ legis, ut ipse loquitur, constituendum necessariò requiri octo statuit; hæc in parte è diametrò se opponens *Chemnitio*, qui in secundâ parte Examini Concilii Tridentini itidem alia octo requisita priùs proposuerat, de quibus paulò post, thes. 35. seqq.

REQUISITUM
SACRAMENTI
PAPISTICUM.
Primum.

XX. PRIMUM Requisite Sacramenti in Novò Testamento Bellarminus facit, *ut sit signum*, Bx. 1. Si hoc necessarium & essenziale Sa-

Sacramenti requisitum est, quæram ego ex Bellarmino, quomodo Eucharistia post consecrationem & transubstantiationem esse possit Sacramentum. 2. Distingvendum esse inter notas *intrinsecas* & *extrinsecas*. Sacramenta sunt signa non ratione essentiali, sed ratione finis secundarii, effectus, & adjuncti.

XXI. SECUNDUM, ut hoc signum sit *sensibile & visibile*; Secundum. ubi refutat Occamū, qui in 4. sent. dist. 1. negat, hoc esse de Sacramenti essentiâ. TERTIUM, ut hoc signum sit *voluntarium*, sive Tertium. datum, non naturale. R. Hæ non sunt notæ essentialis, solis Sacramenti propriæ, sed aliis quoque signis non-Sacramentalibus communes.

XXII. QUARTUM, ut hoc signum habeat cum re, quam significat, analogiam & similitudinem aliquam. R. 1. Analogia Quartum. illa significativa non est primum, sed tantum secundarium rei terrenæ, seu elementi externi in Sacramenti Novi Testamenti officium. 2. Vix ac ne vix quidem Sacramento poenitentiae Papistico conveniet, ut ut se torqueat Bellarminus §. 10. Nam ex *Verbis Absolutionis*, Rem quendam Sacramentalem, sive elementum externum visibile, nunquam effecerit.

XXIII. QUINTUM, ut signum hoc representet rem aliquam Quintum. sacram. R. Hoc requisitum nimis generale est, non solis Sacramenti, sed aliis quoque rebus conveniens. SEXTUM, ut hoc Sextum. signum non solum significet *sanctificationem*, sed etiam ita significet, ut quæ tunc fiat, dum Sacramentum adhibetur. Respondeo: Hoc requisitum quidem verum & proprium videtur, sed non sufficit. SEPTIMUM, ut non solum significet sanctificationem, Septimum. quæ tunc fiat, sed etiam quæ fiat *vi ipsius Sacramenti*, ita, ut Sacramentum sit causa instrumentalis sanctificationis. R. 1. *ludit* ambiguitate *sanctificationis*, quæ generatim accepta ex ipsius mente non includit imputationem justitiæ, sed solam remissionem peccatorum, conjunctam vel potius confusam cum renovatione. 2. Sacramenta operantur sanctificationem, & offerunt vitam æternam, non propter actionem humanam, quæ in eis requiritur, sed quatenus sunt DEI actiones. OCTAVUM, ut sit Ceremonia religionis perpetua, statuta ac solennis, quæ hominem DEO consecret. R. 1. Hanc notam nos admittimus. 2. Quomodo autem

tem eadem extreme unctioni competat, intelligere e quidem neque
que possumus, neque magnopere volumus.

PARS SECUNDA.

De Definitione Sacramenti Papisticâ.

CAP. X.

XXIV. Hic Bellarminus Cap. X. tria tractat. PRIMÒ, an Sacramentum propriè definiri possit? SECUNDO, Quæ sit propria definitio Sacramenti? TERTIÒ, An ea conveniat tantùm Sacramentis Novi Testamenti, an omni Sacramento in genere?

An Sacramen-
tum possit defi-
niri?

XXV. In prima Quæstione *primùm* recenset tres suorum sententias. I. Occami, Majoris Richardi, *negantium* propriè definiri posse Sacramentum, *quia* sit vel aggregatum quoddam per accidens, quàm constet ex rebus & verbis, vel eas rationis, ut signum ex arbitrariâ institutione significans. II. Scoti *dist. 1. quæst. 2.* & Sorii *dist. 1. quæst. 1. art. 2. qui imperfectè* definiri posse tradunt, ut ens rationis & unum per se. III. Ledesmii, qui vult *propriè* definiri posse, *Tractat. de Sacram. in genere. quæst. 1. art. 2. Deinde ipse* distingvit, & non Physicè sed moraliter seu Theologicè definiri posse concludit.

XXVI. Etsi verò animus non est, cum his autoribus in hanc arenam descendere, & commorari in his Philosophicis: notamus tamen breviter: I. Sacramentum falsò venditari pro ente rationis, *sive* consideretur *ἀπλῶς* & absolutè, *quia* sic non sit operâ mentis, nec consistit in intellectu, sed citra ejus operationem est aliquid in rerum naturâ, scilicet actio in sensus incurrens, & constat realissimâ materiâ, cœlesti & terrestri: *sive* *ἁγιωτῶς* & ratione significationis, *quia* (1.) sic pendet ab institutione non rationis nostræ, sed intellectus divini. (2.) est efficax gratiæ medium, significans, & obsignans, atque applicans promissiones Evangelicas: qui realissimus est effectus Sacramenti absque omni intellectu operatione, quæ ens rationis fabricat. Sic igitur colligo: *Quicquid* significat præcisâ omni mentis nostræ operatione, illud non potest esse ens rationis respectu significationis. *Sacramentum* ex institutione divinâ significat præcisâ omni mentis nostræ operatione. Ergò Sacramentum non potest esse ens rationis respectu significationis. *Ratio* autem, quam Bellarminus hic suam facit:

facit: *Quicquid ex institutione arbitraria pendet, est ens rationis, lu-
brica, imo, si rigidè examinetur, falsa est: quia ens rationis est ab
intellectu, non à voluntate, à quâ pendet institutio & ordinatio.*
Sunt namq; signa arbitraria verè signa, & entia vera, & tamen
tantùm ex institutione arbitraria pendent, ex. gr. Hædera signat,
& ut signat, revera ens est, habetq; effectus reales, & pendet ta-
men ex institutione arbitraria. II. Sacramentum, accuratè lo-
quendo, esse ens per accidens & per aggregationem, non unum per
se; verùm haud ideò, quòd non solùm significet, sed etiam sancti-
ficet, quæ duæ res sint diversorum prædicamentorum, nimirùm
Relationis & Actionis, ut Bellarminus differit §. 6 (significare e-
nim & sanctificare sunt attributa sive adjuncta & secundarius fi-
nis Sacramenti, non ipsum Sacramentum;) sed quia constat ex
diversis actionibus; ita tamen, ut illæ actiones debitò ordine ad
unum constituendum revocentur. Unum igitur Sacramentum,
dici potest, non quidem *unitate Physicâ*, quoniam multæ res in di-
stinctis Prædicamentis locatæ ibi concurrunt; sed tamen *unitate
aggregativâ*, & ut quidam loquuntur, *unitate Theologicâ*, hoc
est, quâ suâ quâdam essentiæ unitate unum est. Vide infra Thef.
69. III. Sacramentum definiri posse: non quidem definitione
Logicè perfectissimâ, & numeris omnibus exquisitissimâ: sed ta-
men descriptione ejusmodi, quæ ad naturam Sacramenti expli-
candam sufficiat. Omne enim ens in prædicamentis locatum,
quale etiam Sacramentum est, (quippe in actionis categoriâ po-
situm, ut post dicitur thef. 69. & 70.) una definitione verè expli-
cari potest. Conferatur Meisnerus *Phil. sçbr. part. 2. cap. 1. sect. 3.
quæst. 17.*

XXVII. In secundâ Quæstione Cap. XI. enumerat varias de-
finitiones diversorum autorum; quarum PRIMAM, Sacramen-
tum est signum rei sacræ: & SECUNDAM, Sacramentum est invisibi-
lis gratiæ visibilis forma, ex Augustini librò X. de Civit. Dei cap. 5.
collectas, ipsemet §. 2. agnoscit pro imperfectis, & potius pro no-
minis interpretatione, quàm rei ipsius accuratâ definitione:
Quibus accenset illam Isidori lib. 6. Etymolog. c. 18. Sacramentum
est, per quod sub tegumentò rerum visibilium divina virtus secretius sa-
lutem operatur.

CAP. XI.

Definitiones

Sacramentâ

Papisticæ.

1.

2.

C

XXIIX

XXVIII. TERTIAM Hugonis Lib. 1. de Sacramentis par. 9. cap. 2. Est corporale vel materiale elementum foris sensibilibus propositum, ex similitudine representans, & ex insinuatione significans, & ex sanctificatione continens aliquam invisibilem & spiritualem gratiam. Hanc Chemnitius part. 2. Examin. p. m. 13. rectè arguit, quòd non competat Sacramento Eucharistiæ, quippe ubi secundum Pontificios annihilatâ substantiâ, tantùm accidentia panis & vini remanere perhibeantur. Respondet quidem Bellarminus tum in cap. XI. §. 3. tum in cap. XIII. §. 3. per elementum ab Hugone intelligi non præcisè substantiam seu corpus, sed rem quamlibet sensibilem ad Sacramentum perficiendum adhibitam, quatenus à verbo distinguitur (juxta illud Augustini; *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*) hoc est, materiam cujusvis Sacramenti. Verum hæc frivola & inepta est exceptio: num enim accidens panis aut vini, CORPORALE VEL MATERIALE elementum dici potest? Conatur quidem Bellarminus rationem appellationis dare, quia in Baptismo verum elementum aquæ materia est: vel etiam quia elementum materiam aptissimè significat, quum sit corpus imperfectum, & naturâ suâ ordinatum ad componendum mixtum; unde etiam Aristoteles materiam primam elementum vocavit. Sed quis non rideat puerilitatem tanti Magistri? scilicet, quia materia Baptismi est verum elementum aquæ, ideo accidentia panis & vini, in Eucharistiâ dici queunt elementa! quia elementa sunt materia corporum mixtorum, ergò accidentia panis & vini in Eucharistia appellari possunt elementa!

CAP. XIII.

XXIX. QUARTAM Magistri sententiarum Lib. 4. dist. 1. Est invisibilis gratiæ visibilis forma, ejusdem gratiæ imaginem gerens, & causa existens. R. Hanc quoque Lombardi definitionem Chemnitius meritò reprehendit; Quia matrimonio non quadrat. Nam in eò Pontificii volunt materiam esse verba consensum contrahentium exprimentia: Verba autem visibilia non sunt: Respondet Bellarminus Cap. XIII. §. 5. dupliciter, 1. Catholicos multos materiam in Sacramento statuere ipsas personas contrahentes, verba autem solum formam: proinde materiam visibilem assignare. Sed hoc tergiversari est non respondere: Chemnitius ex eorum sententiâ definitionem refellit, qui in matrimonio

moniō materiam Sacramenti fingunt esse *verba contrabentium*, non qui *personas*: frustra igitur hos posteriores opponit. 2. Ipsa etiam *verba* posse dici *visibilia*; cum visibile ad omnia sensibilia, & sensus ipse videnti usitatē ad omnem sensum transferatur. Doctē enim Augustinō Lib. X. Confess. cap. 35. rectē nos dicere: *Vide quomodo luceat, quomodo oleat, quomodo sapiat, quā sit durum, quā bene sonet: non tamen contra: Audi quomodo luceat, gusta quomodo splendeat, olfac quā nitent, palpa quā fulgeat.* Scilicet secundū illud, *Loquere ut te videam.* Sed quid est ludere in re seriā, si hoc non est? Quis unquam *verba* docuit *visibilia*? An ergo alba, an atra sunt? Quum Sacramentum dicitur forma *visibilis*, tō *visibile* sumitur propriē: at cūm videndi sensus transfertur ad sensus alios, impropriē id fit, figuratē & metaphoricē. Sophisticatur igitur Cardinalis, & fallaciam homonymiæ videns ac sciens committit.

XXX. QUINTAM, ex Catechismō Concilii Tridentini, vocat pulcherrimam: *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiam significandæ tum efficiendæ vim habet.* R. Bellarmino speciosa sua videretur Helena: nobis non item. Nam I. *Verum* & propinquum *genus*, atque ex eadem cum definitō categoriā desumptum, non continet. Signum enim ut *supra th. 26.* monitum, 1. non pertinet ad quidditatem sive essentiam Sacramenti, sed ad ejus finem, officium & usum. 2. nec significat Sacramentum, nisi mediantibus actionibus certō verbō & externō elementō constantibus. 3. Neque est signum in prædicamentō Actionis, ad quod Sacramentum pertinet. Vide plura in hanc sententiam apud Gerhardum *Loc. XXI. cap. 4. §. 22.* Meisnerum *Colleg. de Sacram. Disp. 1. th. 9. 10. item part. 2. phil. sobr. cap. 1. sect. 2. qu. 15.* II. *Verum* & sincerum finem genuinē & candidē non exponit, ut patebit infra.

XXXI. Sole igitur meridianō clariūs appāret, Pontificios peruersissimē sentire de Sacramentis, quūm definitionem afferre possint nullam, quæ vel omnibus septem ipsorum fictitiis, vel duobus veris Sacramentis N. T. ex assē & mente sacrosanctæ Scripturæ conveniat.

CAP. XII.

An Definitio-
nes Papisticæ
convenient Sa-
cramentis uni-
versim?

XXXII. In tertiâ Quæstione, an definitiones postæ convenient Sacramento in genere, an Sacramentis tantum novæ legis? Bellarminus Cap. XII. præter rationem operosè desudat. I. Nam titulo controversiæ secundæ, de Definitione Sacramenti, subjungit epigramma capitis noni his verbis conceptum: *Quid requiratur ad Sacramentum novæ legis constituendum?* Si ergò de speciali definitione Sacramenti Novi Testamenti inquirat, fatetur ipsemet apertè, se Sacramentis Novi Testamenti contra-distingvere Sacramenta Veteris Testamenti, ac per consequens, se vel non inquirere, vel non posse dari definitionem, Sacramentis utriusque Testamenti univocè competentem. II. Recenset autem duas Scholasticorum sententias: primò Lombardi & aliorum, statuentium, ante allatas definitiones convenire Sacramentis Veteris Testamenti imperfectè & analogicè: Deindè Thomæ, Soti, Ledesmii, contententium, definitionem Sacramenti in genere convenire omnibus Sacramentis univocè: quæ egregia est Catholicorum de ipsâ Sacramentorum naturâ & essentiâ harmonia, scilicet! III. Arbitrum se constituens, anceps hæret, nescius quò se convertere debeat, Tandem §. 14. definitionem primam Augustini omnibus Sacramentis, tum veteribus, tum novis, univocè convenire decernit. Sed ita eandem intorquet, tamque variè interpretatur, ut fatente ipsò Bellarminò vel expositio non sit ad mentem Augustini, §. 14. 15. vel ipsa definitio ipsi Augustino non videatur definitio, §. 7. 16. Definitiones verò cæteras solis quidem Sacramentis N. T. convenire, tamen faciliè ad Sacramentum in genere accommodari posse concludit. Hoc est, unò verbò: non putat Bellarminus, definitionem Sacramentorum Novi Testamenti competere Sacramentis Veteris Testamenti, propter errorem de diversò effectu Sacramentorum Veteris Testamenti, quæ effecisse somniat non sanctitatem & justitiam, sed duntaxat typicam, & externam munditiem legalem, §. 14. & 17.

XXXIII. Nos definitionem generalem, & quæ omni tam Veteris quam Novi Testamenti Sacramento propriè & univocè competat, dari posse nihil dubitamus, & talem omninò esse arbitramur hanc vel similem: *Sacramentum est sacra actio, divinitus instituta, quâ DEUS, mediante hominis ministeriò, per visibile &*
exter-

externum elementum, cum re cœlesti hyperphysicè unicum, fidem salvificam operari paratus est, eamq; in omnibus Sacramentò utentibus, & malitiosum obicem non ponentibus operatur, alit, conservat & confirmat, nec non bona spiritalia & æterna offert, & propter Christum fide apprehensum confert atq; obsignat. Quam verò ex requisitis à Chemnitio collectis extructam infra afferemus th. 69. eam sola Sacramenta Novi Testamenti exponere non negamus.

PARS TERTIA.

De Definitione Lutherana.

XXXIV. Hoc certum est, in divinis tabulis generalia Sacramenti requisita expressa & annotata non esse, ideòq; *ἀποσπαστέως καὶ πῆτος*, immediate & per claram Scripturæ literam genericam Sacramenti naturam probari vel demonstrari non posse. Quemadmodum autem Philosophus modum venandi essentialia prædicata optimum rectè arbitratur istum, quando ex communibus individuorum attributis colligitur natura speciei, & ex communibus speciei affectionibus natura generis: ita Chemnitius ex notis essentialibus indubiorum Sacramentorum, hoc est, Baptismi & Cœnæ Dominicæ, scitissimè concludit naturam genericam Sacramenti. Quam methodum ipse Bellarminus collaudare cogitur Lib. I. de Pœnitent. cap. 1. Non malè Chemnitius ex Baptismo & Eucharistiâ, quæ omnium consensu vera Sacramenta sunt, naturam ac proprietatem Sacramentorum in genere investiganda esse censet.

XXXV. Ejusmodi autem requisitorum seu notarum Chemnitius octo recenset, quarum priores duæ pertinent ad Elementum, reliquæ ad Verbum (quod, juxta Augustini regulam, accedit ad elementum, ut fiat Sacramentum.) partim mandati sive institutionis, ut tertia & quarta; partim promissionis, ut quinta, sexta, septima, & octava. Sed operæ pretiū erit ordine singulas dispicere, & à Bellarmini objectionibus vindicare.

XXXVI. PRIMÒ, Sacramentum habeat externum aliquod, materiale seu corporale, & visibile elementum, seu signum, quod certò ritu eractetur, exhibeatur & usurpetur. In hoc requisito Bellarminus cap. XIV. ait τὸ visibile vel GENERALITER accipi pro sensibili,

REQUISITUM
SACRAMENTI
LUTHERANUM

PRIMUM

CAP. XIV.
li,

li, & tūm etiam *Absolutionem* esse *Sacramentum*; quippe rem sensibilem, quum auribus accipiatur. *Sed* Respondeo ex ipsō Bellarmino supra cap. XI. §. 3. *Per elementum* (in definitione Sacramenti) accipitur res quaelibet, ut à verbo distinguitur, juxta illud Augustini: *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Jam subsumo: Atqui in *Absolutione* non potest ostendi *Res* quaedam à *Verbo* distincta. Ergò in *absolutione* non est *Elementum*; & per consequens *Absolutio* non est *Sacramentum* propriissimè sic dictum. *VEL PROPRIE, pro re, quæ sensu videndi percipitur, & tūm fingi definitionem sine ullō testimonio Scripturæ.* Respondeo. Quid audio? An ergò aqua in *Baptismo*, panis & vinum in *Eucharistiâ*, res visibiles & tractabiles, non habent testimonia Scripturarum? Vide mihi Joh. 3, 5. Ephes. 5, 26. Matth. 26, 26. Marc. 14, 12. Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 23. 24. Aut num forsan *Aquam invisibilem, & Panem invisibilem, & Vinum invisibile* præceptum esse, aut præcipi posse Cardinalis absurdissimè docere vult, ut paulò ante *verba visibilia* non minori absurditate statuebat?

SECUNDUM.

XXXVII. SECUNDÒ, *Ut elementum seu signum illud, & certus ejus ritus habeat expressum mandatum divinum, seu institutionem divinam*: Si quidem non sufficit qualiscunqve alicujus mandati per obscuras consequentias deductio. Hanc notam Bellarminus falsam pronunciat: Sed ore impiò & profanissimò. Nos enim mandatum aliquod *non-scriptum*, sub cujus terriculamentò ficta, ac impropriè dicta Sacramenta Ecclesiæ obtrudere laborat, post scriptum & constitutum *Novi Testamenti Canonem*, planitè ignoramus.

TERTIUM.

XXXVIII. TERTIÒ, *Ut institutum & mandatum sit in Novò Testamento.* Hoc requisitum Bellarminus absolute concedit, sed ex eò ipsò contra nos sequi putat, non esse *Baptismi Sacramentum* in *N. T.* institutum; Argumentum Bellarmini erit tale. *Quod Sacramentum per Johannem cepit, id non demum in Novò Testamento institutum, & mandatum est. Baptismus per Johannem cœpit. Ergò non demum in N. T. institutus & mandatus est. Majorem probat: Novi enim Testamenti autor & princeps non Johannes, sed Christus est, Heb. 9, 15. propter quod & Es. 9, 6. dicitur Pater futuri seculi. Minorem itidem confirmat: quia doceamus,*

Instantia de
Baptismo Jo-
hannis.

mus,

mus, Baptismum Johannis habuisse eandem vim & efficaciam cum Baptismo Christi; ac proinde Christum non tam instituisse Baptismi Sacramentum, quàm illud à Johanne institutum approbasse. *R.* Major falsa est. Ministerium enim Johannis pertinuit utique non ad Vetus, sed ad Novum Testamentum, siquidem Scriptura Christum expressè dicit incepisse munus suum à Baptismate Johannis, *Act. 1, 22.* Quò etiam haut obscurè alludit textus alius *Act. 10, 37. & cap. 13, 24. Et Matth. 11, 13.* dicitur: *Omnis lex & Prophetæ usq. ad Christum prophetarunt.* Ergò Vetus Testam. ante Johannis ministerium, vel certè cum ineunte Johannis ministeriò defuit. Undè Irenæus *lib. 3. advers. hæres. cap. 11.* Johannem dicit simul fuisse *Prophetam & Apostolū.* Et Tertullianus *contra Marcion. lib. IV.* vocat eum *limitem, in quò cessaverit Judaismus, & cœperit Christianismus.* Ubi simul notari potest utilis Theologorum distinctio inter *crepusculum, auroram, sive primordia;* & *inter progressus, sive plenam perfectamq. lucem.* Novi Testamenti. Hoc enim non *ex tũ vñ,* in instanti, & *statim* consummatum fuit, sed paulatim quasi crevit & adolevit per actos nonnullos præparatorios & initiales, Johanne viam sternente, & prælucente, *Mal. 3, 1. Matth. 11, 10. Johan. 5, 35. & cap. 3. v. 28, 30.* donec prodiret Oriens ex alto, *Luc. 1, 78.* nempe Christus, Sol Justitiæ, *Mal. 4, 2.* Quod probationem concernit, in eâ Bellarminus 1. falsum committit: quia ut objectiunculam plausibiliorem faciat, ex locò *Heb. 9, 15.* Christum vocat *N. Test. Autorem & principem,* quùm in textu *Mediator* appelletur. In dictò etiam *Es. 9, 6.* ubi Christus juxta elegantem *LXX.* Interpretum versionem, *πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος,* *Pater futuri seculi* appellatur, non habetur respectus ad initium *Novi Testamenti,* sed notat *futurum seculum* felicitatem futuram in vitâ æternâ, sicut *Ephes. 1, 21. Hebr. 2, 5. & cap. 13, 14. Marc. 10, 30. &c.* Vocaturque Christus *Pater seculi seu æternitatis,* quia est autor, origo & scaturigo vitæ æternæ, cujus per peccatum perditæ jus passione & morte sua nobis reparavit & restituit. Deinde in scitè inter se opponit *autorem principalem & dispensatorem ministerialem.* Christus fuit, est & manet *Novi Testamenti, & Sacramentorum, cæterorumque beneficiorum* in eò, pater, princeps, autor, institutor & ordinator primarius, & in specie etiam Baptismi

Novum Testamentum quò cœperit.

fmi Johannis. Johannes enim non auctoritate propriâ baptizavit *Job. 1, 33.* sed ex mandatô divinô, *Luc. 3, 2. seqq.* Hinc Christus Baptismum Johannis metonymicè è cœlô, hoc est, à Deo fuisse dicit, non ex hominibus, *Matth. 21, 25.* Et Pharisæica soboles, quum ab ipsô baptizari retractaret, dicitur **CONSILIUM DEI** pre-
vise ad versus semetipsam, *Luc. 7, 30.* Jam verò Christus est unus ille verus cum Patre & Spiritu Sanctô Deus. Ergò ab institutione illâ excludi nequit. Primus verò *Dispensator & promulgator* ministerialis fuit Johannes, *Job. 1, 26.* quem etiam *in nomine SS. Trinitatis* baptizasse nulli dubitamus; quia quod vidit & audivit, testatus est, *Johan. 1, 34. 1. Job. 1, 3.* idque non in concionibus solum, sed procul dubiô etiam in administratione Baptismatis. Atqui SS. Trinitatem vidit & audivit, *Matth. 3.* Ergò de SS. Trinitate testatus est, idque non tantum in unâ parte sui ministerii, nempe in concionibus, sed procul dubiô etiam in parte ministerii alterâ, scilicet in baptizando. Videatur illustris locus *Job. 3, v. 34. 35.* ubi in concione ad populum SS. Trinitatis mentionem aperuissimam facit: *Deus (Pater) non dedit Filio Spiritum ad mensuram.* Quæ ergò in *probatione Minoris* 1. de institutione Baptismi nobis tribuuntur, ex jam dictis judicari possunt. 2. De approbatione etiam Baptismi Johannis per Christum factâ, negari profectô nequit, ipsummet Christum Baptismum istum suô ipsius exemplô ratum fecisse, quando à Johanne baptizari voluit, *Matth. 3, 13. 3.* De efficaciâ quoque Baptismi Johannis non possumus, quin illam eandem statuamus cum efficacia Baptismi Christi: aut si omnino differentia aliqua concedenda; non nisi in **GRADU EFFICACIÆ** illam agnoscimus: ita firmiter persuasi ex *Luc. 1, 77. & cap. 3, v. 3. 7. & cap. 7, 30. Job. 3, 5.* Hoc est; *extraordinaria illa & visibilia Spiritus Sancti dona, loquendi linguis, prophetandi, sanandi, &c.* quæ post gloriosam Christi Ascensionem in Baptismate Apostolorum distribuebantur, *Job. 7, 39. Act. 8, 16. Act. 19, 5.* per Baptismum Johannis non leguntur collata. Sed *ordinaria, communia & invisibilia Spiritus S. dona, omnibus salvandis necessaria, per Baptismum Johannis collata fuisse, sine hæsitatione statuimus: Sic tamen, ut hæc ipsa dona communia in Baptismô Apostolorum uberioris & in majore copiâ; in Baptismate Johannis non tam uber-*

tiat

um, sed in minore copia, sufficienter tamen, data esse, facile largiamur. Vide *Matth. 3, 11. Actor. 1, 4. & cap. 11, 16.*

XXXIX. QVARTO, *Ut Sacramentum non sit ceremonia temporaria, sed perpetua & duratura usq. ad mundi consummationem, Matth. 28, 20. 1. Cor. 10, 14.* Hæc nota Bellarmino displicere nequit, quum supra *cap. IX. §. 23.* ut thesi 23. innuimus, idem docuerit, ut autem nihilominus habeat, quod arrodar, addit: *Videat tamen Kemnitius, quid Lutherò respondeat, qui in librò de Captiv. Babyl. cap. de Baptismo numerat inter Sacramenta rorem cadentem in vellus Gedeonis, & umbram retrocedentem in horologio Achaz.* Resp. Lutherus nullò opus habet hyperaspistâ, quia satis ipse calumniam hanc diluit: clarè & apertè distingvens inter *Sacramenta ordinaria, & miracula illa extraordinaria.* Sic enim habent ejus verba: *Ab his non modò longissimè differunt novæ legis Sacramenta, sed & ipsa signa, quæ pro tempore Deus Patribus dedit in lege viventibus, quales fuit Gedeonis in vellere, Manoe in sacrificio, quales & Esaias obtulit Achaz, &c.* Quæ ergò impudentia, Lutherò affricare, quasi miracula hæc numeret inter Sacramenta, quum ab his ea manifestè distingvat ac discriminet?

XL. QVINTO, *Requiritur ad Sacramentum promissio divinâ de gratiâ, effectu seu fructu Sacramenti.* Disputat hic Bellarminus, utram intelligamus promissionem de gratiâ conferendâ, an confirmandâ? Respondeo, *utramq.* Sunt enim nobis Sacramenta partim media operantia fidem & sanctitatem inhærentem; partim media *dotica* seu instrumenta dativa justificationis, eam non tantum offerendo, sed & per fidem conferendo, collatamq; continuando & confirmando. Sic Baptismus in *infantibus* est Sacramentum conferendæ gratiæ; in *adultis* continuandæ & confirmandæ: Coena verò est Sacramentum continuandæ & obfirmandæ gratiæ imputantis nobis justitiam Christi; nec non medium cõservandi, alendi & augendi fidem, & studium novæ obedientiæ. *Negat* autem Bellarminus ostendi à nobis posse ex Scripturis hujusmodi promissionem in singulis Sacramentis. I. *Promissionem de gratiâ confirmandâ* inficiatur repetiri in *Eucharistia*: (1) *Instantis I. 3* quia non admittamus caput sextum Johannis: *eò autem, inquit, Canã. capite seposito, nullam invenient promissionem,* Resp. *Committit falla-*

D

la.

laciā à dictō secundūm quid ad dictūm simpliciter. *Quamvis*
enim institutionē Eucharistiæ, & manducationē sacramentalem
in hoc capite non contineri doceamus: fatemur tamen, mandu-
cationem spiritualem & fructum Cœnæ Dominicæ in eodem lu-
culenter proponi: & huc libenter referimus insignes illas pro-
missiones vers. 54. *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem*
meum, habet vitam aternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.
Vers. 55. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Vers.
56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me*
manet & ego in illò &c. (2.) *Quia* Matth. 26. Marc. 14. & Luc 22.
ubi habetur institutio Cœnæ, non habeatur ulla promissio. Nam
in hisce verbis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Et, hic*
est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem
peccatorum: promissionem de traditione corporis & effusione
sanguinis non refertur ad *Sacramentum*, sed ad *Sacrificium*, quod
tunc offerendum erat in cruce. Non enim Dominum dicere, cor-
pus & sanguinem suum dari *Apostolis in remissionem peccatorum;*
sed dari & effundi *pro illis*, nimirum Deo in remissionem pecca-
torum. At verò, quia ipsius corporis Christi pro nobis in mor-
tem traditi, & sanguinis in remissionem peccatorum pro nobis ef-
fusi, verè participes reddimur in Sacramento Cœnæ: cur non
promissio *utrumque* includat? & preciosissimo isto pignore promissio
de gratiā Dei, & remissione peccatorum nobis non confirmetur?
Phrasis enim, *pro vobis*, notat & *vicem nostram*, quam subiit
Christus in luendis peccatis nostris, eā ipsā luitione promerendo
nobis remissionem peccatorum: & *utilitatem nostram*, quæ consi-
stet in efficace acquisitā remissionis peccatorum applicatione
per verbum & Sacramenta. Ad quod ergo promerendum corpus
& sanguis Christi DEO Patri, ut sacrificium, fuerunt oblata, ad id
confirmandum nobis ut Sacramentum exhibentur. At qui ad pro-
merendam gratiam & remissionem peccatorum, corpus & san-
guis Christi Deo Patri ut sacrificium fuerunt oblata. Ergo ad
confirmandum nobis eam gratiam & remissionem peccatorum
ut Sacramentum exhibentur. (3.) Eucharistiæ quidem inveni-
ri promissionē quādam, quæ præcedat signum Luc. 22, 19. 1. Cor.
11, 24. *Hoc facite in mei commemorationem.* Sed eò locō non habe-
ri,

ri, Eucharistiam esse signum *testificativum & confirmativum* promissionis, sed signum *commemorativum* tantum §. 24. R. Imò; Eucharistia, utiq; est signum mortis Dominicæ, non tantum *μνημονεύον*, sed etiam *βεβαιωτικόν*, quod mortem Dominicam non tantum in mentem nobis revocat, sed ejus quoq; applicationem nobis promissam, reverà confirmat: *quia* recolitur ibi facta pro nobis traditio corporis Christi in mortem, & sanguinis ejus effusio, non tantum ut historicè facta est semel, sed etiam ut ex promissione divinâ communiter omnibus religiosè commemorantibus applicatur, quotiescunqve Sacramentò utimur. Religiosa autem ista commemoratio est *fidei exercitium*, & inservit dijudicationi nostri, an scil. verè credamus, Christum pro nobis singulis tradidisse illud ipsum corpus, quod in Cœnâ comedimus, & effudisse pro nobis in remissionem peccatorum illum ipsum sanguinem, quem in Cœnâ bibimus. Quamobrem Eucharistia certissime est facta per fidem applicationis meriti Christi *signum verè confirmativum*; & ista religiosa commemoratio verè est *signaculum* perseverantis fidei in Christum, & continuatæ remissionis peccatorum. Unde *Canon Nicæus*, in Actis ejusdem Synodi primæ, Cibum & Potum Cœnæ Dominicæ disertè vocat, *Σύμβολα τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως*, *Symbola nostræ resurrectionis*. Si ergò Eucharistia est *confirmativum signum* futuræ resurrectionis ad vitam: multò magis erit *signaculum* præsentis justificationis, sine quâ nemo ad vitam resurgit. II. *Promissionem de gratiâ conferendâ negat* reperiri in Baptismò. Opponimus nos (1.) ex Marc. ult. v. 16. *Instantia 2. ð*
Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Regerit Bellarminus *Baptismò.*
duo. *Primum*: istam non esse *promissionem præcedentem*, sed *explicationem efficaciæ* Sacramenti, §. 22. R. Imò est diserta promissio salutis, Baptismo clarè annexa, quod dum Bellarminus nudè & crudè negat, quid aliud facit, quàm quòd manifestæ veritati impudenter obloquitur? *Deinde*: ista verba *post resurrectionem à Dominò* dici, Baptismum autem etiam ante passionem esse institutum, §. *ead.* R. Hoc nihil impedit nam & ante passionem eadem promissio *implicitè* facta est statim in ipsâ institutione, nimirum in promissione præsentis SS. Trinitatis in actione Baptismali. Promissâ enim ibi præsentia, compromittitur simul gratiâ sanctæ

Æ Trinitatis: quemadmodum in Cœnæ institutione promitti-
 tur gratia iis verbis, quibus communio corporis Christi promit-
 titur. Quando ergo baptizatur in nomine Patris, Filii & Spiri-
 tus Sancti, tunc docente Petro 1. *Epist.* 3, 21. Deus foedus nobis cum
 inicit: Pater adoptat nos in filios: Christus induit nos suâ justitiâ:
 Spiritus Sanctus nos regenerat & renovat. (2.) Ex Joh. 3, 5. *Nisi
 quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in re-
 gnum Dei.* Regerit Bellarminus: Hæc non tam *promissio*, quam
comminatio est, ex quâ quidem colligitur necessitas, & virtus Ba-
 ptismi; sed non *promissio* aliqua præcedens, quæ Baptismo ob-
 signetur. R. Ex *comminatione* utique à *contrariò* colligitur pro-
 missio, sc. ex aquâ & Spiritu nos regeneratum, & fores regni cœ-
 lestis apertum iri. *Contrariorum* enim *contraria* est ratio.

SEXTUM.

XLI. SEXTO, *Illam promissionem oportet esse annexam signo
 Sacramenti, & eò quasi vestitam divinâ ordinatione.* Hanc particu-
 lam Bellarminus falsam pronunciat, quia verbum Sacramenti
 non sit *promissorium*, sed *assertorium*. R. Quasi verò assertendo ni-
 hil promitti possit! Verba ergo institutionis Sacramentorum si-
 mul comprehendunt assertionem, simulque in ipsâ assertione
 obsignant promissionem Evangelicam, ut ita secundum divinam
 ordinationem tum offeratur, tum applicetur promissio. Sic quan-
 do minister dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus
 Sancti*, non solum assertit, baptizatum in foedus Dei recipi, sed &
 obsignat promissionem Evangelii propriam de remissione pec-
 catorum. Ita & in Cœnæ Dominicæ salutaris usu non modo of-
 fertur, sed & applicatur & obsignatur promissio gratiæ.

SEPTIMUM.

XLII. SEPTIMO, *Promissionem illam oportet esse non de quibusvis
 donis Dei, sive corporalibus, sive spiritualibus, sed promissionem gratiæ,
 seu justificationis, hoc est, de gratuita reconciliatione, & remissio-
 ne peccatorum, & in summâ de totò beneficiò Redemptionis.* Hoc
 requisitum Bellarminus iterum falsum pronunciat, siquidem Eu-
 charistia non instituta sit propriè ad *remittenda peccata*, sed *cha-
 ritatem* nutriendam & augendam. R. *contrariam* modò evi-
 dimus in thesi præcedente 40. nempe, quando manducamus cor-
 pus Christi pro nobis in mortem traditum, & bibimus sanguinem
 ejus pro nobis effusum in remissionem peccatorum, certissimè

con-

confirmari fidem nostram, (ut firmiter statuamus, datum nobis
iri, quicquid traditione corporis, & effusione sanguinis in arâ cru-
cis Christus nobis promeruit,) & per fidem continuari & obli-
gnari atque certiorari nobis justificationem. Loquimur autem
de sine Sacramenti propriò. Aliàs si de communibus ac minus-prin-
cipalibus finibus sermo sit, *mutua charitatis vinculum, virtutum
Christianarum augmentum, & professionem religionis non excludi-*
mus.

XLIII. OCTAVO, *Bona promissa in Sacramentis non in genere* OCTAVUM
tantum annunciantur & significantur, sed & virtute & institutione
Dei offeruntur, applicantur & obsignantur in particulari singulis, qui
verâ fide Sacramentis utuntur. Hanc notam Bellarminus æquè fal-
sam & diligenter refutandam pronunciat: Quinque igitur argu-
menta ei opponit.

XLIV. PRIMUM argumentum. *Si Sacramenta confirma-* *AVONSON I*
rent promissiones DEI, essent notiora & efficaciora ad fidem persuaden-
dam, quàm sint ipsa DEI verba. Atque posterius est falsum. Ergò
& prius. Minor probatur: quia 1. nihil fingi potest majus & effi-
cacius Dei verbò. 2. facilius intelligitur, si quid verbò dicatur,
quàm si nutu significetur. Quid autem sunt Sacramenta, si cum *An Sacramentis*
verbis comparentur, nisi nutus quidam? R. Major certò respectu *Verbò notiora*
conceditur: Notiora enim Sacramenta sine absurditate dici pos- *& efficaciora?*
sunt verbò simplice, quia non solum àusæ sed & òpèta sunt, non
solum in aures, sed & in oculos incurrunt. Efficaciora, quia pro-
misionem gratiæ unicuique in individuò applicant. Ad Minoris
probationem primam dico. (1.) Cur ergò Pontificii Scripturam sa-
ctam mutum Magistrum, mutum & mortuum judicem, nec non li-
teram mortuam appellant? Wilhelm. Lindanus lib. 1. Panopl. Ev-
angel. cap. 17. p. 16. Melchior Canus, lib. 2. Loc. Comm. cap. 7. p. 32.
Costerus in Enchirid. p. 44. Gregorius de Valentia lib. 8. Analys. c.
6. p. 107. (2.) Nihil Dei verbò majus, certius & efficacius ratione
sui in sensu & ex parte Dei: at ratione nostri plus ponderis habent
Sacramenta, promissiones divinas, & fidem nostram de novò
magis magisque, idque òpèta, confirmantia. Instat Bellarmi-
nus §. 33. Quum Sacramenta non sciuntur esse Dei sigilla, nisi quia
Scriptura hoc dicit; Si creditur verbo sine Sacramentis, quorsum Sa-
cra-

ramenta? Si non creditur, certè nec Sacramenta creduntur esse Sacra-
menta: proinde nihil operantur. Resp. Distingvendum est inter
fidem generalem & specialem. Illa de rebus bonis generatim pro-
missis, ac oblati per verbum excitatur: hac bona illa speciatim
ad nos applicans per Sacramenta confirmatur. Eleganter Mylius
in Augustan. Confess. Art. 13. p. 183. ex Chrystostomo: Si Angeli
essemus, quibus & præter verbum nullò signò opus esset, vel quorum fides
nullis adversitatum aut infirmitatum quassaretur procellis ex verbò fi-
dei inita, & robur simul acquirerentur. Nunc & sensuum adminiculis
in hac vitâ mens nostravehementer indiget, & carnis infirmitatibus fi-
des nostra, atq; afflictionum procellis magnoperè quatitur, & privata
atq; ad individuum persona pertinentis gratiæ curâ non rarò angitur:
tum ergò primitias fidei homo retinet, incrementa autem quærit ex usu
Sacramenti. Ad probationem secundam: Verbum & Sacramenta
malè divelli, ac sibi invicem opponi. Sunt enim Sacramenta non
nuda elementa, & nudi nutus: Sed sunt verbum ὁρατόν, hoc est,
externò, & visibili elementò vestitum, ac veluti incorporatum.

ΔΙΑΚΟΝ. 2.

XLV. SECUNDUM argumentum, §. 39. *Sacramenta nusquam di-*
cuntur testimonia promissionum, sed ubiqve describuntur, ut instru-
menta justificationis. Resp. (1.) Hoc est solis lumen negare in
meridie. Ipse Bellarminus Scripturarum dicta hanc in rem à
nobis proferri solita, ut unguis suos exactè novit, eademqve §.
sequente speciatim exprimit: licet §. 41. ad rem non facere fasti-
diosè ajat. Videbimus de iis paulò post. Hic unum certissimum
& omni exceptione longissimè clariorem locum producimus ex
2. Job. 5, 8. quem Gerhardus Loc. XXI. §. 89. & D. Heinr. Höpfnerus
Disput. Anti Meierianâ VIII. Cap. 4. Aphor. 6. & 7. ab alienis In-
terpretamentis mundissimè repurgant, Bellarminus autem ne u-
nò quidem digitulò tangit: Tres sunt, qui testimonium dant in ter-
râ, Spiritus (in ministerio Evangelii, 1. Joh. 15, 26. 2. Cor. 3, 8.) Aqua
(in Baptismo Ephes. 5, 26.) & sanguis (in Coena Domini, 1. Cor.
11, 25.) In hoc enim pulcherrimò dictò Johannes docet, quod
Christus ad nos veniat v. 6. non otiosè, sed nobiscum agendo
per duo N. T. Sacramenta, A QVAM & SANGVINEM, quorum
usus est testificari, Christum Salvatorem venisse, opus redemptio-
nis perfecisse, ac illa memorialia, & media nobiscum agendi re-
li.

liquisse. Proinde ita argumentor: Si Sacramenta *μαρτυρία* & Sacramenta
testificationes sunt de gratiâ Dei nobis in Filiô reconditâ & pro- dicuntur testi-
missâ; sunt etiam gratiâ illius sigilli & testimonia. monia, 1. Job. Prius textus
probat evidentia. Ergò & posterius erit verissimum. Consequentia 5, 8.
certa est: quia testificari, & obsignare re & sensu idem valent: &
quia sigillum certioris testificationis ergò sic dicitur, quidni et-
iam Sacramenta, ob immortam testificationis suæ certitudinem,
eodem nomine veniant? Eat nunc Bellarminus, & clamet, Sacra-
menta nusquam dici testimonia promissionum! (2.) Nihil au-
tém obstat, quòd alibi describuntur, ut *instrumenta justificationis*:
utrumque enim finem præstant. Nec novum est in Scripturis,
rem unam & eandem simul esse medium *τὸν θεοσφερόντων*
seu exhibitivum, & conferens, *τὸν θεοσφαιζόντων*, hoc est, ob-
signans & confirmans. En illustre exemplum in *donatione Spiritus*
Sancti: hæc certè indubium medium est, per quod divina bene-
ficia nobis contingunt: nihilo tamen minùs Spiritus Sanctus ex-
pressè vocatur *arrha* & *pignus* nostræ hereditatis, 2. Cor. 1, 22. Eph.
1, 14. & nos dicimur *obsignari* Spiritu Sanctò, 2. Cor. 1, 21. Eph. 4, 30.

XLVI. TERTIUM Argumentum §. 42. Si solum essent Sacra- Αυσκίον 3.
menta testimonia promissionis & gratiæ, vel supervacanea, vel certè
parùm necessaria essent. Nam habemus alia testimonia longè effi-
caciora: Siquidem *bona opera* sunt testimonia adeptæ justitiæ
longè meliora, quàm ablutio aquæ, vel sumtio Eucharistiæ. Re-
spondeo 1. ad propositionem. Bellarminus nobis falsò affingit,
quasi Sacramenta habeamus solum pro testimoniis & sigillis
promissionis divinæ: nam binos coordinatos Sacramentorum
fines principales agnoscimus, 1. quod sint *ὄργανα fidei* quidem
operativa, tum *effectivè* vires supernaturales ad credendum con-
ferendo, alendo, augendo; tum *excitativè*, hominem ad harum
virium usurpationem instigvendo: *Justitia* verò *Exhibitiva*, offe-
rendo eam, ut est per fidem imputabilis, & conferendo eandem fi-
de apprehensam, 2. quòd sint *σφαιζόντες*, signacula, justitiam im-
putatam continuantia, confirmantia, obsignantia, prout hi fines
in methodicâ pertractatione hujus Articuli fufius & distinctiùs
explicari solent. Hic, ubi in confutando Bellarminò unicè occu-
pamur, sufficiat eos, tanquam alibi dilucidius expositos, strictim
atti-

attigisse. Fallaciam ergò oppositionis committit Bellarminus. Unus enim rei inclusio non statim est alterius exclusio; & unius rei possunt plures esse fines. 2. Ad probationem: (1.) Distincta esse testimonia bonorum operum & Sacramentorum. Illa ex parte hominis sunt à posteriori testimonia fidei nostræ: hæc ex parte & institutione DEI sunt à priori testimonia & signacula fidei divinx. (2.) Bonorum operum testimonia nequaquam meliora & efficaciora esse testimoniis sacramentalibus. Quid enim fieret homini pio in vehementissimis tentationibus constituto? Ibi sane quum aut planè nullum aut inconstans & valdè dubium inveniat operum verè bonorum testimonium, omnium optimè & tutissimè deducitur ad promissiones Evangelicas in verbò oblatas, & Sacramentis velut sigillis confirmatas, ut ex desperationis angustiis eluctetur.

Απεκρυφ 4.

XLVII. QUARTUM argumentum §. 43. *Si Sacramenta solum essent testimonia promissionum, ad excitandam fidem instituta, frustra baptizarentur infantes & amentes: quos certum est non modo non credere, sed nec posse credere actu. At Lutherani omnes pugnant pro Baptismo parvulorum contra Anabaptistas. Non igitur verè tradunt iidem Lutherani, quid sit Sacramentum. Resp. (1.) Redit prior sententiæ nostræ depravatio. Jam enim monuimus, Sacramenta non esse solum testimonia divinarum promissionum objectivâ representatione fidem excitantia, ut Bellarminus nobis affingit: sed etiam efficacia & salutaria media, per quæ Spiritus Sanctus fidem in cordibus operatur, & divinam gratiam offert, ac credentibus verè confert & applicat. (2.) Nulla est in argumentò consequentia: nititur enim falsâ hypothese, quæ est; *Infantes fidem actualem non habere*: hinc textit sequelam æquè falsam, *Ergo iis promissionem per Baptismum obsignari non posse*. Nos contrariam thesin *Φυλάττοις*, omni contentione asseveramus, Infantes in Baptismo utique accipere fidem & Spiritum Sanctum, atque sic actu & reverè credere novosque motus habere excitatos à Spiritu Sancto, licet quales illi sint, exactè definire nesciamus: adeoque duplici munere fungi Baptismum in Infantibus, tum quod sit efficax medium, per quod Spiritus Sanctus in illis excitat fidem, tum quod sit salutare organum, per quod coelestia*

Actualis fides
Infantum.

lectia beneficia ipsis offeruntur, per fidem applicantur, atque in-
super etiam obfignantur. Pro hac sententiâ facit 1. clarissimum
Christi pronunciatum Matth. 18, 6. *Qui scandalizaverit unum de pu-
illis istis* (Lucas cap. 18, 15. *ὁ ἄσθενης τῆς πίστεως ὁ βλάπτει τὸν ἄσθε-
νην τῆς πίστεως*) *Qui IN ME CREDUNT*, expedit ei, ut mola asina-
ria suspendatur de collô ejus. 2. *Regenerationis beneficium*, quod Infan-
tibus contingit in Baptismô. Ideò enim Baptismus vocatur
Lavacrum regenerationis Tit. 3, 5. Jam verò fieri non potest, ut re-
generentur infantes absque fide: nam in regeneratione ex filiis
iræ fiunt filii Dei: dedit autem potestatem filios Dei fieri his,
qui credunt in nomen ejus, *Joh. 1, 12*. 3. *Pauli suffragium*, qui Ro-
man. 4, 11. Circumcisionem vocat *signaculum justitiæ fidei*. Unde
sponte sequitur, infantes circumcisos habuisse justitiâ fidei aliâs
obfignari nō potuisse: Si justitiâ fidei habuerunt, ergò & ipsam
fidem. Ac quia Baptismus in locum circumcisionis successit *Col.*
2, 11, 12, obfignat & ille justitiâ infantibus in Novo Testamentô:
quia per Baptismum non minus in fœdus recipiuntur, quàm o-
lim per circumcisionem.

XLVIII. *Instat* autem Bellarminus, & objicit nobis in eòdem
paraphrâ duo, quæ etiam repetit Lib. 1. de Baptism. cap. 11.
I. *Autoritatem S. Augustini* qui in Epist. 75. ad Dardanum scripse-
rit, eos injuriam facere humanis sensibus, qui hoc dicunt: Resp. Augu-
stinus contendit, infantes non habere *sensum fidei, nec scire, & co-
gnoscere divina*, uti hoc ipse Bellarminus declarat *d. l. §. 2*. Id quod
nobis non officit, qui nequaquam *talem*, hoc est, tam explicatam,
& sensibilem fidem, qualem adulti habent, infantibus tribuimus.
II. *Rationem à ploratu, & reluctatione infantulorum*; etiam Augu-
stino, sed adversus scopum modò traditum, olim usurpatam. *Vi-
demus infantes ad contactum aquæ sanctæ plorare, refugere & motibus
corporis reniti, reluctari, & obstrepere Baptismo, quantum possunt; quod
certè si facerent usum rationis habentes, non modò non purgarentur ab
originali peccato, sed adderent etiam proprium actuale*. Resp. *Pri-
mum*: Nemo nostrum dicit, infantulos baptizatos habere *usum
rationis*, quod Bellarminus nobis hîc per calumniam obliquè af-
fricat: interim tantum abest, ut naturalis impotentia intelligen-
di fidei eorum quicquam obsit, ut potius ad concipiendam fi-
dem infantes reddat aptiores. Nihil enim in adultis magis im-

E

pe-

pedit fidem, quàm rationis & sensuum usus, siquidem sapientia
 carnis inimicitia est adversus DEUM, Rom. 8, 7. Deinde distingvi
 oportet inter *objecta naturalia, & spiritualia*, itemque inter *motus
 naturales & morales*. Infantes reluctantur non *moraliter* ad Spiritu
 Sancti operationem in Baptismò, quod Bellarminus ridiculè
 somniat; sed *naturaliter* ad externum aëris, & aquæ rigorem
 corpusculo tenero molestum. Quemadmodum ergò tempore Ve
 teris Testamenti in circumcissione, lucta, vagitus & ejulatus in
 fantis ob dolorem naturalem in cute perceptum contra regene
 rationem infantis absurdè objiceretur: aut ex beatè morientiu
 um naturalibus motibus, & reluctanceibus contra mortem fides
 ipsorum impiè negaretur: ita ineptum & putidum est, ob motus
 illos ex naturæ sensu elicitos, quibus nemo hominum destituitur,
 negare velle divinam illam Spiritus Sancti operationem in in
 fantibus.

Αἰσθητὸν 5.

XLIX. QUINTUM argumentum §. 44. Si Sacramenta es
 sent testimonia gratiæ, quæ in particulari confertur alicui, sepe numerò
 falsa essent, nimirum quùm Sacramentum ministratur homini, quì si
 git se credere, quùm reverà non credat. Resp. Hæc oppositio nos non
 ferit: neq; enim de fine Sacramenti judicamus ex intentione uten
 tis hominis, sed instituentis Dei. In sese igitur, ac respectu Dei offe
 rentis, Sacramenta semper, & absolutè sunt vera & integra, hoc
 est, media & testimonia gratiæ, sive homo credat, sive minùs;
 Hominum enim incredulitas DEI veritatem & fidem non ever
 tit, Rom. 3, 3. Et si nos non credimus, ille fidelis permanet, se ipsum
 negare non potest, 2. Tim. 2, 13. sed respectu nostri sunt conditiona
 riæ sunt, nisi accedat fides, bona in verbò & Sacramentis oblata
 apprehendens, confer infra th. 59.

Κατασκευὴ I.
 ex Rom. 4, 11.

L. Repulsis igitur insultibus Bellarminianis, consequens est,
 ut octavum hoc Requisite copis nostris muniamus, & contra
 vellicaciones Adversarii defendamus. Continebimus autem
 nos intra terminos ἀνασκευῆς, & annotabimus ex argumentis
 cum pluribus ea solùm, quæ infringenda sibi Cardinalis propo
 nit.

LI. PRINCIPIÒ producimus locum classicum Apostoli Pau
 Pau-

Pauli Rom. 4. v. 11. ubi circumcissionem diserte indigitat $\sigma\phi\epsilon\gamma\alpha\iota\sigma\tau\omega\nu\epsilon\varsigma$, signaculum Justitiae fidei. Hinc ita argum-
tamur: *Omne sigillum testificatur, confirmat & obsignat suum signa-
tum. Sacramenta sunt sigilla promissionum divinarum, quia circumci-
sio dicitur $\sigma\phi\epsilon\gamma\alpha\iota\sigma\tau\omega\nu\epsilon\varsigma$, sigillum justitiae fidei. Ergo Sacramenta testifican-
tur, obsignant & confirmant divinas promissiones.*

LII. Bellarminus cap. XVII. negat Syllogismi Minorem, & ad CAP. XVII.
probationem ejus instat tripliciter. INSTANTIA PRIMA, §. 2. *Instantia 1.*
Quae de sola circumcissione dicuntur, non possunt trahi recte ad omnia
Sacramenta. Resp; Hoc verum est de differentiis & attributis pro-
priis, seu formalibus, per quae singula Sacramenta constituuntur,
& à se invicem discernuntur; non de attributis communibus à cau-
sâ efficiente & finali genericâ de promptis, in quibus Sacramenta
omnia pariter conveniunt; Hoc verò, nempe, esse signaculum ju-
stitiae fidei, pertinet ad finem circumcissionis, non quatenus ab A-
brahamò est accepta, neque etiam ratione suae naturae specificae &
quatenus circumcisio, seu tale Sacramentum est, sed ratione suae natu-
rae genericae. Ergo etiam ad reliqua Sacramenta referri potest, ac
debet.

LIII. INSTANTIA SECUNDA §. 3. *Apostolus nullam facit Instantia 2.*
mentionem promissionis, aut pacti, quum loquitur de sigillo circumcisio-
nis: vocat enim eam sigillum justitiae fidei, non sigillum promissionis &
pacti. R. 1. Vocatur ita non quidem $\rho\eta\tau\omega\varsigma$ & quoad literam, sed
tamen $\chi\epsilon\iota\sigma\mu\alpha$, & quoad sensum, per aequipollentem phrasin,
quum dicitur signum foederis. Genes. 17, 11. Circumcideris carnem
preputii vestri in signum (hoc est, ut sit signum) foederis inter Me &
Vos. Intelligitur enim non quod vis signum, sed confirmativum si-
gnum, quod nihil aliud est, quam sigillum vel signaculum. q. d.
Circumcideris vos in confirmationem meam vobiscum factae
confederationis, quod vos velitis credere & mihi obedire; ego
autem velim vobis justitiam imputare, & imputationem conti-
nuare. 2. Divina promissio & justitia fidei, non sunt sibi invicem
opponenda, quia relatè ac mutuo sese respiciunt. Promissio enim
respicit & exigit fidem, absque quâ nemini prodest: & fides di-
vinâ promissione foederali nititur; quippe quâ justitia per fi-
dem offeritur apprehendenda, ut imputabilis per fidem: eam e-
E 2
nim

nam oblationem necessariò prærequirit acceptio justitiæ. Dicuntur proinde Circumcisio, & in genere omnia Sacramenta sigilla justitiæ fidei, quòd promissio gratiæ seu diploma regium iis, vel sigillò ad literas appensò, confirmetur, ut quilibet nostrum de illà certior fieri possit. Vide 1. Reg. 21, 8. Esther. 3, 12.

LIV. Excipit Bellarminus, aliam esse causam & Interpretationem hujus appellationis. Vocari enim circumcisionem sigillum justitiæ fidei, I. vel quia, teste Origene, obsignabat, & claudebat justitiam fidei, quæ suo tempore patefacienda erat; id est, sub figurâ & typo Circumcisionis illius carnalis occultè significabatur, & proinde vocabatur circumcisio cordis, quæ est vera justificatio, quam Christus allaturus erat. R. His ambagibus non est opus. Etenim I. Verba Originis non sunt exclusivè accipienda: nam in Sacramentis Veteris Testamenti uterque & primarius & secundarius usus signaculi, nempe certioratio & clausura seu occultatio justitiæ, sibi invicem erant subordinati. Etsi enim applicabatur & obsignabatur justitia Christi per fidem imputata; tamen quatenus adhuc erat acquirenda, adumbrabatur & significabatur. 2. Circumcisio cordis, prout eam Bellarminus accipit in sensu Papisticò, pro justitiâ inhærente seu justitiâ operum, sive ut aliàs loquimur, pro sanctificatione, non est illa vera justificatio coram Deo valens, quam Christus allaturus erat, & quâ Bellarminus Abrahamum in oculis Dei justificatum fingit: hoc enim in Articulo justificationis ex professo refutatur. Nam justus erat Abrahamus, antequam circumcideretur, Rom. 4, 10. Cur ergò circumcidebatur? Non ut justitia Abrahamo demum conferretur, sed ut jam ante collata hoc Sacramentò obsignaretur & confirmaretur. II. Vel quia, docentibus Chrysostomò & Theophylactò, fuit data Abrahamo in signum & testimonium justitiæ, quam sibi acquiserat per fidem. R. contra quem hic pugnat Bellarminus? An non hoc ipsum volumus? sanè si Circumcisio est testimonium, ergò omninò testificatur, confirmat & obsignat.

Instantia 3.

LIV. INSTANTIA TERTIA, §. 4. Fuisse hoc privilegium solum Abrahamæ, & non posse transferri ad alios, quasi Circumcisio, in quocumque esset, testificatio esset justitiæ illius; & negat discretè ceteris Judæis & fidelibus Circumcisionem fuisse sigillum justitiæ fidei. R. Hoc longè

gè falsissimum est. Id contra verissimum; non soli Abrahamæ, sed omnibus Israelitis Circumcisionem fuisse signaculum justitiæ.

LVI. CAPELL. RATIONES. PRIMÆ; à qualitate fœderis, & promissionis divinæ; Ad quos pertinet fœdus & promissio fœderalis Abrahamo patri credentium facta, ad illos etiam spectat illius promissionis sigillum. Sed ad omnes fideles pertinet promissio Abrahamo patri credentium facta, Gen. 17. 7. Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Ergò ad eosdem, & non ad solum Abrahamum spectat illius promissionis sigillum.

LVII. SECUNDA; à modo considerandi personam Abrahami. In quo Abraham proponitur exemplar justificationis, & pater omnium credentium, id non potest ad solum Abrahamum referri. Sed in acceptione justitiæ per fidem gratuito collatæ, & in hujus per Sacramentum ob signatione proponitur Abraham exemplar justificationis. Ergo ea non potest ad solum Abrahamum referri. Minorem probo ex ipsis intimis textûs visceribus, & genuinò Apostoli scopò; qui hic est: Poterant Judæi objicere: Si jam justificatus fuit Abraham, quum circumcisionem acciperet, ergò hujus postmodum acceptæ usus fuit nullus; Huic objectioni respondet Apostolus, & duplicem Circumcisionis usum in Abrahamò exponit; Unum internum, & communem; alterum externum & singularem. Quoad usum primum, Circumcisionem, acceptæ jam justitiæ à Deo superadditam dicit, ut hoc externò signò signaculum quoddam statueret, & ceu visibile testimonium ederet ejus gratiæ, quæ verbò jam antea promissa, & per fidem collata fuerat. Noluisse enim Deum verbò duntaxat agere cum Patriarchâ, sed visibili etiam signò: ut non per auditum tantum, sed per visibilem etiam notam, gratia cœlestis animo Patriarchæ influeret, adedò, ut signi istius intuitu certior etiam & confirmator redderetur ipsius animus de justitiâ gratuitâ per fidem acceptâ. Alter usus externus & peculiaris is fuisse dicitur, ut plena & communis Abrahamæ constaret erga omnes credentes paternitas. Mirabiliter ergò Deum pro suâ sapientiâ utrumque temperâsse, ut & justificatio Abrahamæ in præputio collata sit, & signaculum justitiæ in circumcissione: ut isthinc cum gentilibus, hinc cum Judæis paternitas ipsi intercederet. Sic tamen, ut quia neque propter præputium, neque propter Circumcisionem, sed propter fi-

Circumcisio Is-
raelitum omni-
bus & pœpulis.
Probatur.
I. Rationibus.

1.

2.

Circumcisionis
in Abrahamo
duplex usus.

dem Abraham est justificatus: uterque populus in salutis causa, fidei Abrahamæ vestigiis sibi insistendum esse intelligeret. In usu igitur primò Abrahamus in exemplum, & ad imitationem consistitur.

LIX. Huic clarissimæ veritatis luci Bellarminus nebulam & fumum offundere laborat, aliam rationem assignans tum acceptæ Circumcisionis, tum emphaticæ appellationis, quare circumcisio dicatur *σφραγίς justitiæ fidei*, i. Circumcisionem ab Abrahamo susceptam esse contendit idè, ut possit esse pater omnium circumcisorum. Nam privilegium Abrahami fuit, inquit, ut ipse esset pater omnium fidelium, tam præputiatorum, quam circumcisorum. Et quia jam erat pater præputiatorum fidelium, quia fidem habuerat adhuc præputiatus existens, ut patet Gen. 12, & ex hoc locò Pauli: Accipit ipse primus omnium signum Circumcisionis, ut hoc modò esset etiam pater omnium circumcisorum. Resp. Hic finis externus & Abrahamæ proprius, non excludit finem alterum internum & communem. Fuit equidem hoc privilegium Abrahami personale, ut fieret pater multarum gentium; Verum ratione hujus privilegii personalis, & ratione hujus usus singularis susceptæ Circumcisionis non proponitur in exemplum, & ad imitandum; (quis enim in hoc imitari potest Abrahamum, ut fiat eò modò pater omnium fidelium?) sed ratione usus primi, qui fidelibus omnibus est communis: nimirum ratione ob signationis justitiæ per fidem gratis acceptæ. Sic enim argumentor: In quo Abraham imitabilis non est, in eò ad imitandum non proponitur. Atqui in paternitate omnium fidelium Abraham imitabilis non est. Ergò in paternitate istà ad imitandum non proponitur. Et contrà: In quibus Abraham justificatus fuit, in iis exemplar omnibus justificandis proponitur. Atqui per justitiam fide imputatam, & Sacramento tanquam sigillò ob signatam & confirmatam, Abraham justificatus fuit, Ergò in iisdem exemplar omnibus justificandis proponitur, ut scilicet & ipsi quærant justitiam Messicæ, fide imputabilem, & Sacramentis utantur, quibus fides ista conferatur, & collata ob signetur, atque confirmetur. II. Eandem Circumcisionem Abrahami sigillum justitiæ fidei vocari tradit, quia Abraham hoc personale privilegium habuerit merito justitiæ (operum) quam acquisierat per fidem (tanquam opus spectatum.)

Rx.

Rz. Falsò omnia, & contra scopum Apostoli: qui non proponit exemplum Abrahami operantis, aut promerentis; sed credentis: ideò fidem operibus, & actibus Abrahæ opponit, Rom. 4. 5. Deinde: Hoc Abrahamo imputatum fuit ad justitiam, quòd promissioni credidit. Jam verò relatio non est inter promissionem & opera, sed inter promissionem & fidem. Ergò fides hîc non materialiter, ut opus, sed relativè & organicè intelligenda est.

LIX. Pergit Bellarminus, & sententiam suam probare an-
nititur triplici argumento. Hæc, inquit, esse vera, patet **PRIMO**,
quia Paulus hæc duo conjungit, quùm ait, Accipit signum Circumcisio-
nis signaculum justitiæ fidei, ut sit pater omnium credentium. Non igitur
habent signaculum justitiæ fidei omnes circumcisi, quùm non omnes
sint patres omnium fidelium. Resp. Conjungit utiq; hæc duo, sed
tanquam distinctos duos usus susceptæ Circumcisionis in Abra-
hamò, qui non sunt confundendi, aut sibi invicem opponendi,
sed subordinandi, ut modò explicuimus. **SECUNDO**, Paulus
distinguit signum à signaculo, seu sigillò: ad indicandum, Circumcisio-
nem semper & omnibus esse signum quoddam, non tamen omnibus, sed
soli Abrahæ fuisse sigillum justitiæ, §. 6. **Rz. 1.** Est fallacia non cau-
sæ pro verâ causâ. Distinguit enim Paulus essentiam Sacramenti
ab ejusdem usu & fructu. Vox $\Sigma\eta\mu\epsilon\iota\varsigma$ naturam & substantiam, $\Sigma\eta\mu\epsilon\iota\sigma\alpha$
notat, estq; ve $\sigma\eta\mu\epsilon\iota\sigma\tau\omicron\nu\ \omega\epsilon\iota\tau\omicron\mu\eta\varsigma$, idem quod ipsa $\omega\epsilon\iota\tau\omicron\mu\eta\ \sigma\eta\mu\epsilon\iota\sigma\alpha$
usum & fructum exprimit. Audiamus D. Myli-
um in cap. IV. Roman. pag. 200. Vocabula ab Apostolò usurpata, si-
gnum & signaculum, quamvis $\sigma\upsilon\nu\omega\nu\nu\mu\alpha$ Chryostomo, & aliquibus
aliis videantur: vel mediocriter tamen attendenti, rectius à se invicem
differre constabit, eò nimirum modò, quòd res & usus rei discrepat. Priore
Sacramentum ipsum Circumcisionis notatur, ejusdemq; natura & con-
ditio exprimitur. Sacramenta enim, si proprio Scripturarum vocabulò
appellare velimus, signa simpliciter appellabimus. Alterò vocabulò
 $\sigma\phi\epsilon\gamma\iota\delta\epsilon\varsigma$, usus ejusdem Sacramenti exprimitur. Signum ratione
verbi nudi & respectu rîus externi, seu propter visibile elementum sic
dicitur: Signaculum propter invisibilis & spiritualis gratiæ confirma-
tionem appellatur. Utrumq; ergò vocabulum omni Sacramento conve-
nit, ut $\sigma\eta\mu\epsilon\iota\sigma\alpha$ & $\sigma\phi\epsilon\gamma\iota\delta\epsilon\varsigma$ omnia rectè dici possint: sed respectu di-
versò. Conditione enim omnia signa sunt: usu verò signacula. Sensus er-
gò

ergo verborum Paulinorum est isthic: *Circumcisio, quæ erat signum fœderis, non justificavit Abrahamum; sed fuit ei signaculum, hoc est, ob signamentum & confirmamentum justitiæ per fidem ante susceptam circumcisionem imputatæ.* 2. Quod verò addit, *Sacramentum non omnibus esse sigillum justitiæ, vel de actu, & ratione eventus intelligitur; & sic concedo; nam propter impœnitentiam & incredulitatem multis actu non applicantur atqve ob signantur cœlestia beneficia, vel de potentiâ, & quoad institutionem divinam, & sic nego; eò enim sine Deus omne Sacramentum instituit & dispensat, ut per id omnibus offerat & applicet, & ob signet promissionem gratiæ: ac quamvis in impœnitentibus & incredulis hoc sine sæpius excidat, propter defectum conditionis fidei in usurpantibus; Ipsa tamen Sacramenta, ob id non desinunt in se esse id, quod sunt, videlicet divinarum promissionum signacula, & gratiæ divinæ testimonia. Vide supra thes. 49.*
TERTIÒ, *Scriptura, quàm sæpius loquatur de Circumcisione, nusquam tamen vocat sigillum, nisi hoc locò, ubi de Abrahamo agitur: quod est argumentum manifestum, soli Abrahamo fuisse Circumcisionem sigillum. §. 7. Resp. 1. Sufficit, aliquid in Scripturis semel dici. 2. Nec obstat, quod de personâ Abrahami hic agitur: adducitur enim tanquam speculum justificandorum. Quia igitur ipsi ut exemplo, ut quatenus credidit, tribuitur, quòd circumcisio ipsi fuerit signaculum justitiæ fidei: ergo id ipsum omnibus credentibus ex æquò rectè assignatur.*

II. Exempla.

LX. CAPE II. EXEMPLA. *David oppidò contra Goliathum pugnaturus, in animam sibi revocabat Circumcisionem. I. Samuel. 17, 26. & 36. Qvis est iste Philistæus incircumcisus? Idem faciebat Jonathan ibid. cap. 14, 6. Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum, si fortè faciat Dominus pro nobis. Qui potuissent, obsecro, sancti Judæi isti in periculis sese efficaciter consolari Circumcisione suâ, nisi ea etiam ipsis fuisset sigillum, & ob signatio fœderis ac promissionum divinarum? His adde totum illum populum Israeliticum, quem in deserto natum, in ipso itinere Josua circumcidebat, Jos. 5. v. 3. 7. in quò numero certè multi fue-*

fuerunt fideles, quales erant Josua & Calebi posteri. His ergo fi-
 de imputativam justitiam adeptis eadem justitia per fidem con-
 tinuata est, & per circumcisionem ob signata. Sic & *Profluyi*, qui
 cum Hebraeis foeminis matrimonium contrahebant, prius erant
 ad Deum Israelis conversi; & tamen accipiebant circumcisio-
 nem: quem in finem? *in signaculum fidei suae, & justitiae*, per fidem
 illam imputatae. Quin etiam omnibus circumcisis parvulis hoc Sa-
 cramentum fuit signaculum justitiae, in circumcisione, & per cir-
 cumcisionem, tanquam organum hujus justitiae μεταδοτικόν,
 prius acceptae & collatae: sicuti superius indicavimus.

LXI. CAPE III. AUCTORITATEM à S. Augustino, qui *III. Auctoritate*
lib. IV. de Baptism. contra Donatist. cap. 24. sine hesitatione sta-
tuit, etiam Isaaco, die natiuitatis oblatum circumciso, hoc Sacramentum
fuisse signaculum justitiae fidei. Atque ita firmiter adstruximus, &
defendimus locum classicum primum ex Rom. 4, II.

LXII. ALIUM locum classicum educere nostrates solent ex *Καλιμαυή II.*
1. Petr. 3, 21. ubi Baptismus dicitur, non depositio sordium carnis, sed 1. Petr. 3, 21.
ἐπερωτήματα καλῆς σωειδήσεως εἰς Θεόν, per resurrectionem Christi,
sedentis in dexterâ Dei subjectis sibi potestatibus. In hoc dicto em-
phaticum est vocabulum ἐπερωτήματα, quod Vulgatus inter-
pres proprietatem vocis attendens vertit, Interrogationem, alii
rem significatam respicientes, reddunt pactum, stipulationem, sive
etiam testimonium: res tamen eodem semper recidit: Est autem
ἐπερωτῶν, in causâ dabiâ aliquem consulere, & responsum seu *Ἐπερωτῶν*
testimonium ejus expetere: quemadmodum in Veteri Testa-
mentô Israelitae, quum in casu aliquo interrogabant os Domini,
ut certi redderentur, quomodo ille affectus esset, à LXX. Inter-
pretibus dicuntur ἐπερωτῶν ἐν κυρίῳ Jud. 20, 27. Erit itaque Ba-
pismus interrogatio, hoc est, ejusmodi Sacramentum, quod ba-
pizatum fiducialiter interrogare, & ipso Deo arbitro indubitan-
ter concludere facit, quomodo Deus erga baptizatum affectus
sit? quid conscientia baptizati sibi de gratiâ DEI polliceri de- *Ἐπερωτήματα*
beat? Hoc vel simili modô: Nonne verum est, mi Pater caelestis,
F quod

quòd in Baptismo à peccatorum reatu me ablueris, in fœdus gratiæ me
recepseris, iustitiâ Christi indueris, conscientiam purificaveris, opem &
protectionem in omnibus necessitatibus, salutem denique & vitam eter-
nam promiseris? Hinc est argumentum nostrum: Quicquid testa-
tur de gratiâ DEI, illud eandem obsignat & confirmat. Baptismus te-
statur de gratiâ DEI. Ergò eandem quoque confirmat.

LXIII. Bellarminus sentit se premi hõc dictõ: ut ergò ali-
quid reponere videatur, tempus consumit in adducendis variis
Interpretationibus alienis, quas tamen nec ipse universim pro-
bat; sperans per huiusmodi mæandros se elapsurum esse. Sed
vana & frustranea hæc sunt effugia: imò quò magis infringere
conatur nostram sententiam, eò magis eandem confirmat. Pri-
mò affert expositionem Oecumenii in Commentario huius loci,
qui per ἐπερωτήματα intelligit pignus & arrhabonem, §. 16. Resp. Ac-
ceptamus hanc interpretationem, & Baptismus similem esse
pignori ac arrhaboni ipsi quoque statuimus. Quemadmodum
enim pignus & arrha in confirmationem rei promissæ datur,
majoris cautionis ergò, Gen. 38. v. 17. 18. 20: ita Baptismus pro-
missiones divinas de gratiâ in sese quidem longè certissimas, no-
bis tamen quandoque ὀλιγοπίστοις ex abundanti evidentiùs ob-
signat & confirmat. Depravationem, quâ Bellarminus hanc o-
ptimam Oecumenii expositionem pessimè corrumpit, & in sen-
sum alienum detorquet, nihil moramur, quum ipsemet Bellar-
minus sponte suâ fateatur, eam non videri ad mentem S. Petri, §. 17.
Deindè ponit aliam expositionem Lyrani, Gagnæi & Johannis
à Lovaniò, qui per interrogationem bonæ conscientiæ intelli-
gunt interrogationes & responsiones, quæ sunt ante Baptismum. Sed
cum & hæc ipsi Bellarmino iterum non videatur literalis, eam-
que ipsemet impugnet, suo illam loco relinquimus.

LXIV. Tertiò ad rem propiùs accedit, & probaturus videri
vult, neutram significationem τῶ ἐπερωτήματι nobis favere,
sive per interrogationem, sive per pactum & testimonium expona-
tur. Aliam ergò explicationem profert, quam putat esse Sancto-
rum Augustini tract. 80. in Johan. & Sermon 30. de verbis Domini:
& Basilii lib. de Spiritu Sancto cap. 15. ex eâ vocabuli ἐπερωτήματι
τ

τὸν ἑκείνην deductam, quā interrogatio redditur: videlicet, ut per ἐπερώτημα intelligatur metonymicè, posito effectu pro causà, interna ablutio mentis, quæ interrogatio seu responsio bonæ conscientie in Deum appelletur, quia ex illà munditià oritur pax, & quies conscientie, & proinde responsio bonæ conscientie, & etiam interrogatio apud Deum, quia audet cum fiducia Deum accedere & interrogare, i. e. cum eò colloqui, eumq; rogare pro se, & aliis, §. 21. R. Quia hanc explicationem Bellarminus non reprehendit, ergò eam tacitè concedit, ac per consequens sententiam nostram ipse confirmat. Si enim ex Baptismò hic effectus & fructus ad nos redit, ut conscientia nostra sit pacata & tranquilla, utqve cum fiducia possimus DEUM accedere; utiqve Baptismus est testimonium divinæ erga nos voluntatis, & signaculum justitiæ fidei, quia teste Paulò, justificati fide pacem habemus apud DEUM, Rom. 5, 1. Atqve ita vis veritatis Adversarium potenter cogit, ut sub specie Refutationis sententiam nostram, quam refellere videri vult, nolens volens tamen probet: quod exemplum cauteriæ conscientie pium Lectorem Lutheranum notare jubeo.

LXV. Addit secundò, locum hunc non favere Lutheranis, sed Catholicis, etiam si per ἐπερώτημα accipiatur testimonium vel pactum. Petrum enim I. Non loqui de testimonio vel pacto DEI, sed conscientia nostra, §. 22. Resp. Est Elenchus oppositorum. Nam testimonium seu pactum DEI & conscientie nostræ, non sunt opposita, sed subordinata & relata. Dupliciter, enim Baptismus dicitur ἐπερώτημα καλῆς συνειδήσεως, pignus seu pactum bonæ conscientie. 1. Ratione nostri, qui oppignoratur DEO. Et enim qui baptizatus est, subindè explorare, & velut interrogare, & consulere tenetur suam conscientiam, an fideliter servet fidem datam DEO in Baptismò de constantiâ in religionis veræ professione, fiducia in DEUM, & vitâ integrè traducendâ, quæ conscientia examinata testimonium baptizato perhibet, se ad omnia hæc præstanda Deo obligatum esse, juxta monitum Pauli Rom. 6, 3. seqq. 2. Ratione DEI, qui oppignoratur nobis. Qui namq; in nomine Sacrosanctæ Trinitatis baptizatus est, in corde & conscientia suâ certus & persvasissimus redditur, se baptizatum esse in no-

Instantia Bel-
larmini.

1.

men Dei omnipotentis, omniscii, benignissimi, &c. qui ipsi in-
 quibusvis adversitatibus præsentissimâ ope adesse possit, atq; ve-
 lit: hujus rei veritatē ipsi confirmat, testimoniūq; ipsi perhibet
 Baptismꝰ susceptus. Loquitur ergo Petrus de testimoniō & pactō
 utroque *δέξις* quidem & *ἐπιμήριος*, de stipulatione & pactō
 nostræ conscientiæ erga Deum: *πρώτος* autem & *ἡγεμώνας* de
 pactō & testimoniō D E I erga nostram conscientiam, sicuti è
 contextu planissimum evadit. Nam Baptismus dicitur esse *ἐπε-
 ρώτημα καλῆς συνειδήσεως εἰς Θεόν*, per resurrectionem Christi, se-
 dentis in dexterâ Dei, subjectis sibi potestatibus. Christus autem sedet
 in dexterâ Dei, debellatis hostibus, tum ut pro nobis interpellet,
 ne hostium violentiæ succumbamus, *Rom. 8, 34. tum*, ut præsen-
 tissimum contra quosvis hostes ferat auxilium, *1. Cor. 15. v. 25. 57.
 Ephes. 4, 10. seqq.* Alterum proinde ex altero deducitur. Ex confir-
 matione enim conscientie nostræ per Baptismum rectè inferitur,
 quòd Baptismus sit signaculum divinarum promissionum, & te-
 stimonium divinæ erga nos voluntatis: id quod ipsa vox interro-
 gationis liquide manifestat; esse scilicet in Baptismō interroga-
 tionem conscientie nostræ, & responsionem DEI: Sicut in Ve-
 teri Testamento Israelitæ in tabernaculo fœderis interrogabant
 os Domini; Dominus respondens revelabat suam voluntatem;
 & conscientia consulentium reddebatur certa, secunda, & tran-
 quilla. Et contra, ex testimoniō divina erga nos voluntatis, rectè et-
 iam inferitur confirmatio, nostræ conscientie, quomodo sc. ea
 erga Deum sese decenter debeat gerere, ut ipsi bene placeat.
 Objicit quidem Bellarminus §. 22. *Multum interest inter testimo-
 nium & pactum D E I, quod Lutherani obsignari volunt Sacramentō:
 & testimonium seu pactum conscientie nostræ. Illud enim est verbum
 Dei scriptum, quod præcedit Sacramenti usum & fructum, id est, justi-
 ficationem, & proinde Sacramenti usum & fructum. Resp. Verbum
 & antecedit & sequitur justificationem, diversò respectu. Ante-
 cedit, prout offert, vel confert justificationem: Sequitur, quatenus
 eandem jam collatam obsignat. Similiter quoque testimonium
 seu pactum conscientie nostræ, justificationem & antecedit &
 sequitur: sed itidem diversò respectu. Etenim considerari potest*

test fœdus seu pactum istud dupliciter, *vel* ratione initionis seu
 sanctionis, *vel* ratione impletionis & eventus. *Priori modo*, ut
 pangitur, & quatenus inter *Deum & hominem* mutua stipulatio
 sancitur, quòd *ille* offerre, conferre, & continuare velit suam ju-
 stitiam, *hic* verò absolvi velit à peccatis, & justificari: eatenus
 antecedit justificationem, & spectat oblationem hujus justitiæ,
 quatenus ea est imputabilis nobis per fidem. *Posteriori autem*
modo, ut impletur ipsò eventu promissionum, *ab homine* quidem
 fidem, quæ per Sacramenta vel confertur, vel perseverantior &
 auctior redditur, habente & retinente; à *Deo* autem justitiam,
 per fidem conferente vel continuante, eamque vel collationem
 vel continuationem obsignante: eatenus justificationem sequi-
 tur, & est signaculum justitiæ fidei, seu ἐπερωτήματα bonæ conscien-
 tiæ.

LXVI. II. *Petrum non dicere, Baptismò obsignari pactum seu te-* Instantia 2:
stimonium: sed dicere, salvari animas, & effici justificationem, ex quâ
oritur testimonium bonæ conscientie §. 23. Resp. Committitur ite-
 rum eadem fallacia oppositorum. Baptismus ut aliquoties incul-
 catum est, utrumque præstat: operatur fidem, & confert vel con-
 tinuat fide imputatam justitiam Christi, & hoc pacto salvat a-
 nimas, tanquam organum divinitus ad hoc munus destinatum:
 obsignat etiam illam ipsam justitiam per Baptismum aut colla-
 tam aut continatam, tanquam sigillum vel signaculum itidem
 divinitus ad hoc munus ordinatum. INSTAT Bellarminus §. eod.
 ex illò verbò Latine versionis: *similis forma*, & regerit: *Vult A-*
postolus eò modo nos salvari per aquas Baptismi, quomodo per aquas di-
lucii salvati sunt, qui erant in arcâ Noæ. Resp. Aut sumit Bellarmi-
 nus in posterioribus verbis, *per aquas dilucii*, præpositionem *PER*
ἀγῶνιαις, ut in verbis prioribus, *per aquas Baptismi*; & sic nego
 comparisonem inter *aquas dilucii*, & *aquam Baptismi*, quia aquæ
 dilucii neminem conservarunt, sed omnes perdidit: aut su-
 mit eam ita, ut notet aquarum, quibus adjungitur, præsentiam,
 sitque *per aquas* idem, quod *in aquis*, ut Rom. 4, 11. Gal. 4, 13. & sic
 concedo quidem comparisonem, sed ita, ut ea inter *aquas dilu-*
vii, & *aquam Baptismi* intelligatur *non ratione submersionis*, hoc
 F 3 modò:

modò: sicut in aquis diluvii perit omnis caro, ita in aquâ Baptismi submergitur & mortificatur vetus noster Adam: *ratione servationis* autem comparatio fiat inter *Arcam* in diluviò, & *Baptismum*: hoc modò: Quemadmodum in diluviò Arca fuit medium divinitùs institutum, per quod corporaliter servabantur animæ ingressæ: ita Baptismus est medium divinitùs institutum, per quod spiritualiter salvantur, qui illum suscipiunt. Sic igitur instituenda est argumentatio: *Quemadmodum octo animæ servabantur per arcam contra aquas diluvii: ita & nos salvamur per Baptismum contra diluvium damnationis.* Jam subsumit Bellarminus: *Aquæ diluvii non salvârunt arcam Noæ testificando, vel obsignando promissiones, sed reipsâ elevando arcam in sublime.* Resp. Peccatur dupliciter 1. *Logicè in formâ, pluralitate terminorum.* Nam pro *arcâ*, de quâ in *Majore* sermo, quæque in *Minore* repetenda erat, inscitè substituantur *Aquæ diluvii.* 2. *Theologicè in materiâ.* Aquæ enim diluvii non fuerunt *medium salvandi* sive *Arcam*, sive eos, qui erant in *arcâ*: sed *medium submergendi* eos, qui erant extra *arcam.* Ita ergò subsumi debebat: *Atqui octo animæ servabantur per Arcam, contra aquas diluvii, non ita, ut arca iis testificaretur, vel obsignaret promissiones, sed ut eos reipsâ eveltos, ab alluviò aquarum tutos præstaret.* Sed ita nego hanc subsumtionem propter fallaciam oppositionis duorum coordinatorum finium. Arca enim Noæ non solum reipsâ conservavit octo animas in diluviò, sed etiam omninò ipsis fuit testimonium, & pignus sive signum voluntatis atque gratiæ divinæ, non quidem Sacramentale, sed tamen singulare atque extraordinarium, certificans Noachum de immunitate ab interitu corporali. Falsa itaque etiam est Conclusio, quam infert Bellarminus: *Igitur & Baptismus salvos nos facit non obsignando & testificando, sed reipsâ justificando animam:* nam hæc duo non pugnare, sed distinctos tantùm duos fines unius Sacramenti esse, sæpiùs jam ingeminavimus. Sin verò aliquis pro Bellarmini comparatione acriùs pugnet, & rigorosè urgeat, in textu Perrinò particulam relativam *quæ* referri, non tam ad *totum complexum*, sive ad integram salvandi actionem, mediante *Arcâ* in diluviò factam, quàm ad proximè præcedens

τὸ ὕδωρ, ac pertendat collationem omninò institui inter *Aquam diluvii & Baptisma*, ut hæc sit ordinatio & interpretatio verborum Petri: ὅς scilicet ὕδατι, cui aqua diluvii è regione respondens, cetera res per diluvium figurata, nos salvos facit Baptismus: & fieri hanc comparisonem utiqve *ratione conservationis*, quam præstiterit aqua diluvii *evehendo & elevando* Arcam in sublime, ne obrueretur cum cæteris ædificiis hujus mundi, uti digitum huc intendere videtur Bellarminus, *dictò §. 23.* Respondeo; mecum ipsò hac in parte ferram contentionis morosè & obstinatè quidem non tracturum esse: interim tamen neque Bellarmini negativæ quidquam accedere, neque affirmativæ nostræ quidquam decedere. Manet enim & permanet uterque Baptismi finis, atque in bimbri comparisonem conjunctim ab Apostolo asseritur. I. *Sicut aqua diluvii servavit octo animas in vitâ corporali, elevando arcam in sublime, ne cum cæteris ædificiis hujus mundi obrueretur: ita quoque Baptismatis aqua salvat animas, collatâ vitâ spirituali.* II. *Sicut aqua diluvii, quatenus atollebat Arcam, Noæ & cæteris eam ingressis, erat signum, certificans & testificans de immunitate à suffocatione corporali: ita quoque salutem spiritualem, vel ejus continuationem per Baptismum adeptis, idem Baptismus est signum confirmativum quò baptizati certificantur de hæc salute.* Atque ita expediimus etiam alterum locum classicum ex 1. Petr. 3, 21.

LXVII. TERTIUM fundamentum nostræ sententiæ Lutherus Κατασκευὴ III.
 in lib. de Capt. Babylon. Cap. de Baptism. deduxit *ex analogiâ* Ex analogiâ
miraculorum, quibus Deus confirmare solitus est promissiones miraculorum.
 suas: cujusmodi ibidem allegat *signum in rore, & vellere datum, Gedonâ Judic. 6. Et in umbrâ horologii recedente, datum Hiskie 2. Reg. 20. 9. Es. 38. 8. &c.* Quibus Calvinus *lib. IV. Instit. c. 14. §. 6. addit Arcum caelestem sive Iridem Gen. 7. 12. & Circumcisionem, Gen. 17, 11. Excipit Bellarminus §. 9. & 14. hæc & similia non esse ad rem: quia sint vel miracula, ut duo priora; vel signa non confirmativa, sed tantum memorialia seu memorativa, ut posteriora duo; quod utrumque genus à Sacramentò multum differat: Resp. Agnoscimus differentias: in hoc tertio tamen cum Sacramentis generaliter conveniunt,*

unt, quòd Deus per certa signa promissionem gratiæ obfignet, idque ex merissimâ benignitate, ad succurrendum eò abundantius fidei nostræ imbecillitati. His observatis evanescent sponte suâ, quas Bellarminus §. 9. & 12. obtendit argutias, de quibus etiam supra thes. 39. & 44.

Καὶ ἀποκευὴ IV.
Ab autoritate
Patrum.

LXVIII. **POSTREMUM** nostrum fundamentum, quod Bellarminus oppugnandum sibi sumit, sunt *testimonia sanctorum Patrum*, qui non rarò Sacramenta vocant sigilla, seu signacula. Basiliius lib. 3. contra Eunomium: Ἐστὶ τὸ βάπτισμα σφραγὶς τῆς πίστεως. *Baptismus est sigillum fidei.* Et Damascenus sacramentam vocat, ἀρραβὼνα τῆς μελλούσης ζωῆς καὶ βασιλείας, *arrabonem future vite & regni.* Quòd referri possunt ipsa Bellarmini verba lib. 2. de Sacrament. c. 8. §. 8. *Sacramenta instituta sunt, ut nos certos reddant remissionis peccatorum, & gratiæ Dei:* Erunt ergò divinarum promissionum, & fidei nostræ signacula. **EXCIPIT** Bellarminus: *Longè aliâ significatione loqui Patres de signaculis Sacramentorū, quàm nos velimus, & faciamus. Sacramenta enim à Patribus sigilla, aut signacula vocari, nō quòd sint signacula divinarū promissionū: scđ I. Quia obfignent fideles, & tanquam nota quedam eos separent ab iis, qui non sunt de grege vel exercitu Domini.* **R.** Est fallacia oppositorū. Sunt enim *species Sacramentorum* duū generum, alii *principales*, seu *primarii*, alii *minus-principales*, & *secundarii*: hi se invicem non excludunt; quocirca posteriores prioribus non opponi, sed subordinari debent. Audiatur ipse Bellarminus libri huius cap. XV. §. 4. *Esti Sacramenta illum usum habeant, quòd distinguunt religionem veram, à quibusdam falsis, tamen non est hic solus vel precipuus usus.* **II. Quia claudant intra se rem sacram, id est, invisibilem gratiam.** **R.** Est idem elenchus. Usus enim sigillorum non solum is est, quòd literæ & res aliæ illis claudantur, ne ab aliis aperiantur aut legantur *Daniel 14, 13. Matth. 27, 66.* sed præcipuè etiam iste, quòd ea quæ in literis continentur, obfignent, & confirment: præsertim si literis, uti vocant, *patientibus* appendantur. **I. Reg. 21, 8. Esther 3, 12.** **III. Baptismum vocari sigillum, seu obfigurationem fidei, vel quia Baptismus est publica approbatio, & testificatio fidei ejus, qui baptizatur.** **R.** Recurrit eadem fallacia; sunt enim

nim Sacramenta notæ, & obfignationes fidei, tum Dei, ut promittentis & exhibentis, tum nostræ, ut assentientis, & fiducialiter apprehendentis. Vel quia perficit & absolvit quodammodo hominem fidelem. Resp. Ad hujusmodi perfectionem etiam hoc pertinet, ut habeat divinarum promissionum, & fidei suæ ratum, firmumque sigillum, ac testimonium, ut nihil fluctuet. Sed de his Patrum testimoniis speciatim differit D. Höpfnerus *Disput. Anti-Meier. s. c. 4. Aphorism. s. quem vide.*

LXIX. Atque ita octo ista requisita ad veritatem & integritatem Sacramenti in N. T. pertinentia, copiosè & sufficienter, ut confido, adstruximus: è quibus jam talis confici potest Lutherana Sacramenti definitio: *Sacramentum N. Testamenti est actio solennis sacra, quæ sub externo & visibili signo divinitus instituta res cælestis ex mandato Christi usq; ad finem mundi ad conferendam & obfignandam justitiam & salutem dispensatur.* Sive, ut *Sacramenti fines & effectus* (de quibus tamen distinctè, catecheticè, seu methodicè exponendis in hac disputatione non laboramus, quum Bellarminus, quem unum hic $\kappa\tau$ $\omega\delta\delta\alpha$ sequimur, de iis demum in sequentibus duabus Controversiis, partim in hoc, quem sub manibus habemus, librò primò, partim in librò secundò de Sacramenti in genere, ex institutò agat) paulò explicatiùs attingamus: *ad dandam, conservandam, alendam & augendam fidem; itemq; ad exhibendam, continuandam, obfignandam & certiorandam, quæ coram Deo valet, justitiam, salutemq; spiritualem & æternam: nec non ad conferendam, augmentandam & certificandam renovationem, & sanctitatem nobis per Spiritus Sancti gratiam renatis inhaerentem.*

LXX. Est ergò Sacramenti GENUS ACTIO, tanquam forma generalis (juxta naturam accidentium) quæ limitatur, ac restringitur per differentiam à subjectò, Efficiente & Fine. Ubi tamen notari jubemus, nos voce *Actionis* non hoc velle, ac si Sacramentum sit *una tantum actio*: Sed intelligimus ceremoniã, seu ritum compositum ex actionibus pluribus, $\delta\alpha\tau\iota\kappa\alpha\iota\varsigma$ $\kappa\alpha\iota$ $\lambda\eta\pi\iota\kappa\alpha\iota\varsigma$, certò tamen modò concurrentibus, & unum aliquod efficientibus: quemadmodum plurium habituum concursus facere potest habitum, qui certò modò unus dicitur. Addimus porrò, quod sit a-

Sacramenti
DEFINITIO

Sacramentū
quomodo sit
ACTIO.

G

ctio

ctio *sacra*, ut à profanis actionibus separetur; & *solennis*, ut ludicræ removeantur, ac privatae, quatenus privatae.

LXXI. Potest autem hoc genus exemplariter ostendi per inductionem omnium Sacramentorum verè talium, etiam Veteris Testamenti. Etenim in Circumcisione requiritur pelliculae amputatio, *Gen. 17, 11*. In agnò paschali, mactatio, assatio, manducatio, *Exod. 12, 7*. In Baptismo affusio aquæ, seu in aquam immersio in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, *Matth. 28, 19*. In Cœnâ Dominicâ Panis, & Corporis Domini comestio, Vini & sanguinis Domini bibitio, *Matth. 26, 26. Maro. 14, 22. Luc. 22, 29. 1. Cor. 11, 23*. Quò etiam digitum intendit Apostolus Paulus, *1. Cor. 10, v. 16. & 17*. Nam descripturus Cœnam Dominicam, non obscure indicat formam Sacramentorum in *δόσει* ministri, & *λήψει* usurpantis Sacramentum consistere, dum meminit & *κοινωνίας* seu *communicationis*, & *μετοχής* seu *participationis*.

NUMERUS
Sacramento-
rum.

LXXII. Porrò ex hâc verâ Definitione potest etiam iudicium ferri de *Numerò* verorum Sacramentorum Novi Testamenti. Sic enim inde arguimus: *Quor & quibus rebus hec definitio adæquatè competit, tot & non plura sunt Sacramenta N. T. propriè sic dicta. Sed non nisi duabus rebus, puta Baptismo & Cœna Domini, hec definitio adæquatè competit. Ergò non nisi istæ duæ res, puta Baptismus & Cœna Domini, sunt propriè sic dicta N. T. Sacramenta. Minorem*

1. Κατὰ Θεόν.

probo 1. Κατὰ Θεόν. Nam *Baptismus* signum visibile habet aquam, cum quâ ex institutione Dei unitur & dispensatur nomen Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *Matth. 28, 19*. & quidem ex mandatò certò: *Baptizate*, usq; ad Consummationem seculi, *Matth. 28, 20*. ad offerendam & obfignandam gratuitam peccatorum remissionem & sanctificationem, *1. Job. 3, 5. Ephes. 5, 26. 1. Petr. 3, 21*. cuius promissionem habet annexam, *Marc. 16, 16*. Sic in *COENA* Dominicâ datur elementum visibile Panis, & Vinum, & quidem Sacramentale, quod ex virtute Dei vocationem accipit, ut cum eò res cœlestis instituta uniat & dispenseretur, nempe corpus & sanguis Domini nostri *JESU CHRISTI*, *Matth. 26, 28. Luc. 22, 19*. Deindè autem harum rerum dispensatio habet verbum 1. *Institutionis*: *Hoc est corpus meum, hoc est Novum Testamentum in sanguine meo.* 2. *Mandati*: *Comedite,*

te, Bibite. 3. *Promissionis*: Hoc est corpus, quod pro vobis traditur: hoc est sanguis, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. II. *Kα' ἀγιω*. Etenim quinque supernumeraria illa Sacramenta, *Pœnitentia, Ordinatio, Conjugium, Confirmatio, & Unctio*, quæ Pontificii Ecclesiæ obtrudunt, vel non sunt Ecclesiæ propria, ut Matrimonium; vel à Deo aut omninò non, aut certè in Novò Testamento non instituta; vel non habent visibile elementum verbo institutionis expressum & sanctificatum ad exhibendam rem cœlestem; vel carent verbo mandati, & promissæ gratiæ, quæ usurpantibus conferatur & obsignetur; quemadmodum nostrates Theologi in speciali singulorum istorum putativorum Sacramentorum discussione plus millies satis superque ostenderunt.

LXXIII. Explicatis ergò *Nomine & Definitione Sacramenti*, & refutatis iis, quæ Bellarminus doctrinæ nostræ sophisticè opponit, concludemus Disputationem, si prius hoc unicum monumentum, nempe, flagrare Bellarminum, illum Cardinalium Pontificiorum Goliathum, in his ipsis pertractatis controversiis non tam amore verbi divini & cœlestis veritatis, quam insanâ libidine calumniandi orthodoxæ nostræ religionis Theologos. Hujus rei notabile exemplum statuo obreçantia illa verba, quibus caput decimum quartum hujus libri exorditur: *Accedamus nunc ad excutiendas & refellendas Adversariorum definitiones; sunt enim in hac re valdè discordes; quod est manifestum signum eos recessisse à veritate quæ est una. Certè Kemnitius, qui aliòquin conatur tegere vel conciliare discordias suorum, in 2. part. Examin. cap. de Efficaciâ Sacramentorum p. 96. enumerat quinq; diversas sententias Lutheranorum præter suam, quæ est sexta. Hic Bellarminus de industria, sciens ac volens calumniatur & mentitur. Calumniatur: tum, quia discordiam in definiendo Sacramento nobis objicit, tum quia à veritate nos recessisse dicitur. Mentitur, quia Chemnitium sex diversas sententias Lutheranorum enumerare ait. Sed primus intuitus verborum Chemnitianorum utramque solidè refellit. Non enim Lutheranorum, sed Scholasticorum & Fanaticorum discordes opiniones recenset, ut ipse manifestè monet, his perspicuis verbis: *Has opiniones idèò recensui, ut ex antithesi vrasententia**

rectius intelligatur: præcipuè verò ideò, quia video, Pontificios, in suis de hac questione disputationibus, fanaticorum opiniones commiscere cum nostrarum Ecclesiarum confessione; quum tamen Apologia Augustanae Confessionis sententiam suam ex verbò Dei exstructam discrete sejungat à fanaticorum profanis opinionibus. Refellit etiam ipse Bellarminus ipsò factò suo. Nam post impetitam in cap. XIV. definitionem primam, quam *Lutheri* esse dicit, aggressurus reliquas, harum nullam in cap. XV. ulli Lutheranorum, sed singulas apertè *Fanaticis, Zwinglianis & Anabaptistis*, postremam tandem in cap. XVI. *Calvino* tribuit: quâ de causâ etiam duo ista capita, tanquam nos non attinentia, in hac *διγύνησι* planè præterimus. Ubi ergò discordia? Ubi sex diversæ sententiæ Lutheranorum?

CAP. XV.

CAP. XVI.


LXXIV. Sed factò sine, Deum invocemus, ut verbum suum, purum, & Sacramentorũ usum contra omnes corruptelas illibatum inter nos perpetuò conserve; per & propter Sacramentorum autorem, Dominum & Salvatorem nostrum *Christum Jesum*; cui cum Patre, & Spiritu Sancto sit laus honor & gloria in omnes infinitas ævitates,


Amen!


F I N I S.

Erratum.

Thef. LXVI. lineâ 21. lege: non *ratione servationis*, sed *ratione submerisionis*. Cætera levioris momenti in *distinctionibus* aut *literis transpositis* æquus Lector ipse corrigat.







the scale towards document

ulchro viva redeat. & per hunc gradum eleva-
er alioqui statim post mortem ad Dei dextram
causa electum, salutem nostram ejusq; appli-
Naturaprocurat.

ER EANDEM CUM RE POTENTIAM.

dicunt angeli, *non est hic*. Resurrectionem qui-
citantem verò non ita disertè nominantes: ad
surrectionis Christi notitiam acquirendam no-
erit. Certum est apud omnes, resurrectionem
e viribus Naturæ vel finitæ potentia assignan-
li privatione ad habitum non detur regressus;
vinam & infinitam virtutem, ut create, ita & re-
n. *IV. 17. II. Cor. 1. 9.* Certum etiam est apud veros
nitatem adorant, virtutem illam & potentiam
s personis communem, sicut ipsa essentia di-
ipius humanitatis Christi resuscitatio, ad o-
extra pertineat, juxta *Augustini* Regulam, indi-
bus personis communis erit. Quo & referi-
t. *Cor. XIII. 4.* quando eidem *Virtuti DEI* &
ixi vitam, & nostram futuram adscribit. Et de
est controversia. Scriptura etiam disertè illud
patrum suscitavit Jesum Act. V. 30. quod *DEUS*
Christi & Pater gloriæ, secundum operationem poten-
tatus sit in Christo suscitans illum ex mortuis Eph. I.
excitatus à mortuis per gloriam patris Rom. VI. 4.
quæ indefinitè in Evangelio ponitur, ad pa-
tamen hic, vel ullibi in Scriptura, exclusi-
in etiam est apud omnes Apostolici & Nicæni
s, *ὁμοσίαν* Patris & Filii, veramq; & æternam
m ex scripturis agnoscentes, *Filium DEI* assum-
tatem excitasse: est enim *Resurrectio & vita ipsa*
B 2 *Job.*